

B. N. II, 170.
No 44, 6.

485,6 X 1881546

Q. D. B. V.

II m
545

DISSERTATIO POLITICA

DE

ORDINE
EQUESTRI,

QUAM

In florentissimâ ad Albim Academiâ,

PRÆSIDE

VIRO PRÆCLARISSIMO ac PRÆCEL-
LENTISSIMO

DN. M. CHRISTIANO Röhrenseer/

Colleg. Philos. & Pract. Phil. Prof. Publ.

ADJUNCTO meritissimo,

FAUTORE atq; Studiorum suorum PROMOTORE,

ætatem devenerando,

publicæ Disputationi exponit

DITTERICUS SCHICKE,

Eqves Misnicus.

Habebitur ad d. 6. Maij, A. M. DC. LXXI.

In Audit. Majori, Horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ

Typis IOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.
exprimebat Simon Lieberhirt.

D. D. N. 1771
D I S S E R T A T I O P O L I T I C A

O R D I N E

E Q U E S T R I

In honoris Academiae

P R A E S I D E

V I R O P R A E C L A R I S S I M O P R A E C E

L E N T I S S I M O

D. N. M. C H R I S T I A N O P R O F E S S O R I



D I T T E R I C U S S C H I C K E

Edes Milinicus

Habebitur ad d. d. Maj. A. M. DC. LXXI

In Audit. Majori. Hora antequam

...

...



A ordinis pulchritudo pariter atq;
 excellentia est, ut non divinum saltem Nu-
 men mirificè delectetur eodem, sed & univer-
 sã naturã illum inseverit atq; commendãrit.
 Non prolixus ero in percensendis illis rebus,
 quæ à rationis usu remotæ sunt, quarum tam
 constans in actionibus suis industria est, ut productorum con-
 cinnitatem operum, ac inconfusam laboris seriem intuens,
 meritò obstupescas. Respice, quæso, ingeniosissimam apum
 gentem, quàm eleganti ordine munia sua exequatur, quàm
 stans temporibus mellifluos succos ex omni herbarum gene-
 re colligat, quàm sollicitè ad suos deferat alveos, quàm dispo-
 nat scitè, ac digerat per favos, &, quod maximum, quàm
 prompto obsequio tota cohors unius reguli imperia excipiat.
 Sed omisã brutali naturã animo tuo Angelos siste, & perfe-
 ctissimum ordinis exemplar suppeditabunt. Dirige mentis
 aciem in teipsum, & patebit oppidò, cum societatis colendæ
 desiderio amorem ordinis eadem operã tibi implantatum es-
 se. Atq; cum in primævã illã felicitate, ubi peccatorum ex-
 pertes agebamus, certus mortalium ordo requisitus fuerit,
 quæ non illius impræsens necessitas fuerit, dum vitiorum in-
 conditum agmen, quod omne occupavit humanum genus,
 vario tumultu cuncta turbat? Tolle è Republicã ordinem, So-
 lem profectò abstulisse mundo videberis. Ubi exulat ordo,
 succedit confusio; quãut in quacunq; re nihil est foedius, ita
 Rempublicam omninò perimit & evertit.

II. Exinde non tantum est, quod in civili societate
 quibusdam summum rerum iudicium DEUS concesserit, re-
 lictã cæteris obsequij gloriã, sed & inter ipsos parentes certi
 introducti sint ordines, quorum beneficio primi postremis,

A

medii

medii utrisq; , omnes omnibus nexu quodam ac vinculo in-
ter se & cum Republ. conjunguntur. Nam qui cives omnes o-
mnibus dignitate, ordine, loco ita ex æquitate conantur, ut nihil pri-
mum in civitate, nihil postremum, nihil medium, sed omnes omni-
bus sine ullo sexus, ætatis, conditionis discrimine confusos esse ve-
lint, iudicio BODINI, 3. de Rep. 8. perinde faciunt, ut ii, qui bor-
deum, frumentum, orizam, milium, legumina in unum acervum
accumulant, quæ ex re & singulorum seminum, & universi acervi
usum amittunt. Quapropter in omni laudabili Republ. ei cu-
ræ incubuerunt prudentes magistratus, ut cives suos in certos
ordines describerent. De Servio Tullio memorat FLORUS
l. 1. c. 6. quod Populus Romanus ab eo in censum relatus, digestus
in classes, curiis atq; collegiis distributus, summâq; regis solertiâ
ita sit ordinata Respublica, ut omnia patrimonii, dignitatis, æ-
tatis, artium, officiorumq; discrimina in tabulas referrentur: ac sic
maxima civitas minima domus diligentia contineretur. Quam-
vis autem pro vario scopo Rerumpubl. diversi civium ordi-
nes reperiantur constituti, vix tamen dabitur natio, apud
quam Equestris dignitas in usu & precio non fuerit.

III. Ne autem vocabuli nobis imponat multiplex si-
gnificatio, dicimus statim, ordinis notionem capi pro civium
parte, conditione à cæteris discretâ. Complexè ordinem eqve-
stem sumimus pro dignitate civili, quâ quis per certa jura &
privilegia plebejâ conditione eximitur. Tametsi enim specialior
termini usus militarem illam infert dignitatem, ad quam quis à
majestate ob fortia facta evchitur, certisq; insignibus, quales
sunt torques aureus, annulus aureus &c. decoratur, Wann
einer wegen seiner tapfren Heldenthaten zum Ritter geschlagen
wird: generalior tamen acceptio, quâ nobilitati communiter
applicatur, æquè invaluit, ut equitum appellatione Nobiles &
eorum ordinem in vernaculâ pariter & Latinâ insigniamus.
Quod inde natum LIMNÆUS credit l. 6. de J. P. c. 2. §. 2. quod
ante

ante ducentos præter propter annos soli ferè in Germaniâ & Italiâ militârint nobiles, non quidem pedestri agmine, sed equestri: unde & adhuc in lustrationibus eqvis comparere tenentur, & periclitanti principi eqvo & armis succurrere. NOLDEN *de Stat. Nobil. c. 3.* Aliàs verò satis intercedit discriminis inter *Nobilem* simpliciter ita dictum, & *Eqvitem*. Non enim nascuntur Eqvites, sed certis cum solennitatibus creantur; unde nec dignitas illa, cum *personalis* sit, ad filios transit, quod secus se in nobilitate habet. Idq; in tantum verum esse modò laudatus LIMNÆUS asserit, *l. c. n. 8. ut nec Imperator, quâ Imperator factus, nec Rex, quâ Rex electus, Eqvites sint, licet summum dignitatis obtineant gradum, sed Eqvites se creari ab alio quopiam patiantur, uti compluribus exemplis ibi demonstrat.* Ac de ordine aurei velleris refert NOLDEN, *l. d. c. 6. quod, si in eo moriatur Eqves sodaliti, tum illa dignitas in cognatos non transeat, adeò, ut nec torquem aureum retineant, sed Principi ordinis restituere teneantur, quem ille alteri, qui in locum demortui eligitur, tradat.* Plures differentias collegit LIMNÆUS.

IV. Pluribus eqvidem nominibus Equestris ordo citari solet, quæ tamen amore brevitatis adducere non sustinemus. Vulgatissima *Nobilitatis* appellatio est, sed quæ & ipsa diversimodè dicitur. Sunt qui à solâ *virtute morali* eam æstimantes probis omnibus hanc largiuntur, in quam sententiam multa passim reperias Philosophorum veterum dicta. Demotritus interrogatus, in quibus Nobilitas consistat, respondisse fertur: *Pecudum nobilitas in bono validoq; corporis habitu posita est, hominum autem in bonitate morum.* STOBÆUS *serm. 84.* Et Theocritus audiens, quendam ob parentum nobilitatem plurimum ab aliquo laudari, *Heus, ait, bone vir, genes rosos arbitraris esse non eos, qui ex bonorum & illustrium stirpe prognati sunt, sed qui honestatem omnibus rebus preposuerunt.*

A 2

Eadem

Eadem mens *Platoni* hæsit, quam complexi *Stoici* omnes, solos *sapientes nobiles esse* voluerunt. At enim non temerè confundenda *virtus* est cum suis *premiis atq; insignibus*; unde hanc *Nobilitatem*, quam *Philosophicam, Ethicam & moralem* vocant, à proposito nostro removemus, de *civili seu Politicâ* tantùm acturi: quæ licet & ipsa à virtute sit, certè ab ea esse debeat, virtutem tamen non ut *efficientem* habet, sed ut *concomitantem*. Ut quis babeatur *nobilis*, non sufficit *causa πρῶτα ἀετινὴ* eu impulsiva, utpote *virtus, militia & scientia*. *Virtus enim à nobilitate distinguitur*. NOLDEN, l.c.c.4. *Bona mens*, ex *SENECÆ* effato. *omnibus patet, omnes ad hoc sumus nobiles*. *Nec rejicit quenquam Philosophia, nec eligit: omnibus lucet*. *Patri eius Socrates non fuit, Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus*. *Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit*. Ast ut quis *civiliter* reddatur *nobilis*, opus est, ut accedat *voluntas* ejus, quæ *κέρδιον* habet, eumq; à plebejâ conditione in *nobilium* classem transferat. Actus enim voluntarius cum *nobilitatis* collatio sit, citra aliquam voluntatis declarationem à principe factam exerceri utiq; non potest.

V. Porro cum & *civilis*, quæ dicitur, *Nobilitas* latius quandoq; extendatur, ut complectatur *omnes ordines & dignitates à principe usq; ad plebejos*, quo sensu & Imperator, licet sit ipse fons nobilitatis, ad ordinem senatorum & nobilium refertur, *l. jus Senator. C. de dignit.* & *Nobilitas alia clara, alia generosa, alia incluta, alia spectabilis, alia egregia, alia illustris, alia regia, alia Imperialis* salutatur, MATTH. STEPH. *de nobil. civil.* 4. nostra tractatio id omne non complectetur, sed missis superioribus gradibus cum hæc vice saltem contemplabimur, qui *infra Baronatum est, ac simpliciter Nobilitas appellatur*.

VI. Quanta verò *equestris ordinis* in *Republ.* *necessitas* pariter atq; *utilitas* sit, quivis facile animadvertit, qui perpendit, *marcere virtutem civium, nisi propositis subinde premiis*

miis excitetur. Cum enim multis honorum stimuli naturali-
ter quasi inhæreant, nullum pro Republ. detrectant discrimen,
sed noctes diesque pro salute ejus agunt excubias, dum-
modò inde honores ac nobilitatem se consecuturos ipse af-
fulgeat. Atque cum in præmiorum distributione ad illud impri-
mis attendendum sit, *ut honorifica sint accipienti, sed ærario pu-
blico non damnosa*, vix scopus ille melius obtineri potest, quam
jure Nobilitatis, itemque Equitum ordinibus, ac insignibus
gentilitiis, *quæ non magni quidem pretii sunt, respectu præmii, sed
maximi, respectu virtutis, quia hæc sola illa capit.* BOXHORN.
l. 1. Pol. c. 9. Explan. ad §. 16. Præterea cum magni interesse pute-
mus, ex quo genere procreatus sit canis, aut equus, ex quâ ar-
bore decerptus sit surculus, eequare minoris reputabimus,
quibus parentibus homo sit genitus?

Fortes creantur fortibus, & bonis:

Est in juvenis, est in equis patrum

Virtus: nec imbellem feroces

Progenerant aquilæ columbam. HORAT. 4. CARM.

Od. 4.

Quid? quod ex ipsâ gratitudinis lege majorum virtus ac me-
rita etiam in posteris veneranda sint, qui ubi vident hono-
res parentum etiam ad posteritatem transmitti, & ipsi ad præ-
clara facta alacriores redduntur. Rectè CICERO *in Or. pro
Sextio: Omnes bene semper nobilitati favemus, & quia utile est,
mobiles esse homines, dignos majoribus suis; & quia valere debet a-
pud nos clarorum hominum senex de Republ. meritorum memoria,
etiam mortuorum.* Et profectò, nisi Equestris ordo necessa-
rius vitæ hominum foret, non eundem ita ab omni hominum
memoriâ optimi Principes, & potentissimi quique populi tu-
erentur.

VII. Pensi id habuerunt pleræque gentes cordatiores, apud
quas jam inde ab antiquissimis seculis usu receptum fuit, ut

A S

No.

Nobiles à plebejis ordinē ac dignitatē dirimerentur. Ad
quod pronunciatum confirmandum non anilibus fabulis, sed
probatorum Historicorum fide ac testimoniis utemur. Est
equidem nonnullis persuasum, quod nobilitatis & ignobili-
tatis discrimen statim ab orbis conditi exordio incipiat, aut
certè paullo post: nempe ab *Abel & Cain*, ut scilicet ille, quam-
diu vixerit, patris nobilitatem retinuerit, hic ob perpetra-
tum fratricidium amiserit, in quâ sententiâ BARTOLUS
esse dicitur à TIRAQUELLO *de nobilitate* .7. n. 157. Aliis pla-
cet statuere, quod Nobilitas post diluuium filiis Noæ *Sem &*
Japhet primordia sua debeat; rustici verò ac de plebe homi-
nes à *Chamo* sint oriundi: cui assertioni suæ tale substernunt
fundamentum, quod Noa Chamo maledixerit, quæ maledi-
ctio posteris ipsius inhæserit, in tantum, ut in hodiernum
usq; diem contemptui sint obnoxii, sicut è contrario *Sem &*
Japhet benedictione donati fuerint, quâ posteritas illorum a-
deò gavisa fuerit, ut hodie illustriores existant. Nec de-
sunt, quibus Nobilitatis originem altius ab *Angelis & Astris*
repetere lubet: quod Angeli alii aliis ordine superiores: astra
quoq; & sidera non ordine tantum, sed & virtute & potentiâ
inter se longè sint dissimilia, ita ut alia quidem quasi impe-
rium exercent, & reliquis splendorem afferant ac dignita-
tem. Ast nec omnis ordo, nec naturalis virium præstantia ci-
vilem efficit nobilitatem. Datur & inter servos ordo, à qui-
bus tamen nobilitas procul est. Ad res inanimas ac bruta
cum nobilitas trahitur, fit illud per translationem quandam
oratoriam, non ex propriâ nominis ratione. Angeli verò,
cum ad civitatem non pertineant, neq; ab eorum ordinibus
Equestris dignitatis principium derivari potest. Si ab Ada-
mo nobilitatis incunabula arcessenda, quid obstat, quo mi-
nus cuncti mortalium nobiles censeantur? De Noachi filiis
quæ afferebantur, fidei historicæ repugnant, quâ docemur,
æq;

æq̄ex Chami nepotibus, quàm Semi Japhetisq̄; posteris nobilitatem quandam fuisse prognatam. Id quod confirmant exempla *Ægyptiorum, Æthiopum, Maurorum, Numidarum*, quibus singulis sua fuit Nobilitas.

VIII. Tamen si verò certus Nobilitatis civilis inventor nominari non possit, id tamen satis expeditum est, quòd non modò apud *Chaldaeos & Assyrios*, quicq̄; illorum tempore æqualiter ferè unà cum ipsis florere, *Ægyptios* Nobilitas extiterit, & hæreditaria fuerit; verùm etiam apud *Persas & Medos*. Sic & *Ebraeis illustrium ac nobilium virorum* duo genera fuerunt: alterum ab *Aaronis stirpe*, qui soli *Sacerdotes* erant, alterum à *stirpe regum*. BODIN: 3. de Rep. c. 8. Idem apud *Græcos Nobilitatem aut à stirpe Regum, aut Heroum*, puta *Heracidarum, Æacidarum, Cecropidarum*, & id genus aliorum ductam fuisse refert, aut etiam ab iis, qui ob res tum à se, tum à majoribus præclarè gestas publico decreto coronam auream, immunitates, statuas, primos consessus, victum in Prytaneo, aliisve publicis in locis optimatum populivè decreto, addit à laudatione, consequerentur. De Atheniensibus narrat EUSEBIUS, quòd abrogatis Principibus novem nobilibus gubernationem commiserint. Horum vestigiis institerunt *Macedones*, apud quos licet parentes officia & dignitates suas jure hæreditario non transfuderint in liberos suos, sublimiori tamen gradu reputati fuerunt descendentes ex illis, præ plebejis. Ac ipse quidem *Alexander M.* post primam adversus *Persas* in *Asia* ad *Granicum* fluvium pugnam Nobilitatem inter *Macedones* suos constituisse videtur, concedendo militibus suis ejusmodi quædam privilegia, qualia nostri temporis Nobiles habent, ut scribit *ARIANUS* in ejus *Anabasi*.

IX. Apud *Romanos Nobilis* dicebatur, qui novi hominis filius esset. Novum autem hominem appellabant, qui primus in suâ gente magistratum curulem adipiscebatur, ac *Statua* sibi erigenda.

gen.

genda jus habebat. Ac primis quidem Reipublicæ Romanæ temporibus nobilium ordinem constituebant *Patres*, eorumque posterii, *Patricii* dicti, quibus solis ab initio summi Magistratus, quos *curules* vocabant, demandabantur. Post cum *plebeji* quoque ad hosce magistratus admitterentur, eorum, qui sustinuerant hos magistratus, filii altiore sibi vendicabant ordinem, & pro nobilibus reputari volebant. Tandem & *Equites*, qui medium quasi locum inter Senatores ac plebejos tenebant, nobilitatem sibi arrogarunt, in quâ dignitate à Cicerone, qui & ipse Eques fuerat, ita sunt defensi, ut ex eo tempore constantem nobilitatis gradum conservaverint. ASCON. in *Orat. de tog. cand.* ROSIN. *Antiq. Rom. l. 1. c. 19.* Multò autem immutatus fuit nobilium in Italiâ status, cum Imperium Romanum ad Germanos esset translatum: quâ de re juvat audire SIGONIUM l. 7. *Regn. Ital. Otto I. Imperator*, inquit, more à Francis accepto, fortissimum quemque militia sua adscribere, eosque, qui strenuam sibi fidelemque operam navassent, regalibus suis insignire statuit. Erant autem regalia dignitates & prædia, quæ Rex benemeritis ad placitum concedebat. Dignitates, ut *Duces*, *Marchiones*, *Comites*, *Capitanei*, *Valvasores* & *Valvasini*. Prædia, ut *vectigalia*, *telonia*, *portus*, *ripatica*, *pedatica*, *moneta*, *piscaria*, *molendina*, *salina*, *fluminum usus*, & *omnis proficiens ex illis proventus*, & quæ generis erant ejusmodi. *Duces* erant, qui *Ducatum*; *Comites*, qui *Comitatum*, *Marchiones*, qui *Marchiam* à rege in feudum acceperant. *Capitanei*, qui à Rege aut Duce, *Marchione*, *Comite*ve plebem plebisve partem: *Valvasores*, qui à *Capitaneis*; *Valvasini*, qui à *Valvasoribus* acceperant: quorum tres priores *Capitanei Regis*, reliqui *Valvasores majores*, *minores* & *minimi* quoque appellati sunt. Unde nova Nobilitatis ratio in Italiam est introducta, ut ii demum soli *Nobiles* judicarentur, qui ipsi, aut quorum majores his atque ejusmodi aliis privilegiis honestati essent. Nam banc consuetudinem
ejus

ius successores non omiserunt, sed etiam multis partibus adauxerunt: sive ut gratiam praefectis suis ac militibus pro operâ in bellis egregiè navatâ referrent, sive ut eos potissimum sibi clientes depincerent, quorum virtute eam regionem continere in fide possent.

X. Serenissimam Rempubl. Venetam fovere Nobilitatem, nec dubium, nec mirum est, cum ipsa rerum summa penes Patritios, sive Nobiles, esse deprehendatur. Tres v. Patritiarum s. Nobilium familiarum apud Venetos ordines recensentur in CASP. ab ENS *Theat. Pol. part 1. apotel. 3. Antiquae scilicet, Nova, ac Intermedia:* ex quibus Antiquæ familiæ cæteris nobiliores censentur. Apud MOCENICUM *in univers. Contempl. part. 2. l. 17.* Nobiles Veneti dividuntur in *Minores & Majores*, & hi iterum in tres diversas classes distribuuntur. *Neapolitani* præ cæteris Italis nobilitatem præ se ferunt, sed eam in desidiâ atque ignaviâ collocare videntur. Nulli enim, præterquam inertis otio intenti, ex suis possessionibus vitam degunt. Nefas est nobili, rei rusticæ, aut suis rationibus cognoscendis operam dare. Sedentes in atriis, aut equitando tempus terunt. Etiam si improbi fuerint, dummodò priscis domibus orti, se nobiles profitentur. *Hispania* duplici nobilitate utitur. Nam & qui in suis civitatibus antiquo genere orti cæteris præ sunt, divitiis præditi, & qui in campis commorantes nutriuntur ex prædiorum censu, cum ornatiori quodam vivendi ritu, quo cæteris præstent, nobilium nomen tenent. *Angli* nobiles in civitatibus morari ignominia loco putant, rura sylvis ac pascuis seclusa inhabitant, nobiliorem ex censu judicant, rem rusticam curant, vendentes lanam & armentorum foetus, neque turpe existimant, admisceri quæstui rusticano. Multos quoque aliquod præstans in bello facinus, acceptis à Principe donis, nobilitavit. Hæc ZWINGERUS *Theatr. vit. hum. Vol. 28. l. 2.* Galliam quoque favere Nobilitati, extra dubium est. Nobiles suos vocant *Gentils hommes,*

B

mes,

mes, maximum robur equestris militiae. Unde nullus equitatus praefertur Gallico, quia ferè constat ex nobilitate. Quapropter Galli omnes suas victorias imputant suo equitatu. Nobiles rarò pedestres. GEORG. HORN. *Orb. Pol. part. 1. c. 3. de Regn. Gall. Cap. 10.* In Polonia Nobilitas populolissima est, & magnæ in Republ. auctoritatis. Vivunt nobiles ibi in magnâ libertate, faciuntq; quod ipsis placet. Decreta Regis (sicut ipsimet fatentur) non durant plus, quàm tres dies: versantur cum Rege non tantum tanquam cognati (quod faciunt Franci) sed ut fratres. JOH. BOTERUS in *Relat. de Regno Poloniae.* Idem de orientalibus gentibus, earumq; nobilitate differit in *Relat. de Magno Chamo.* Nunquam fuit Respublica, aut Principatus, ubi robori militari majora emolumenta praemiisque proposita fuerint, quàm inter hos Barbaros. Sed magis inter Turcas, quàm alibi, Tartari quidem, Arabes, Persæq; habent nobilitatem in aliqua estimatione precioq; Turcæ excindunt extirpantq; nobiles familias, nec aliud magni faciunt, quàm audaciam & fortitudinem ponuntq; in manus mancipiorum, & gentis vilissimæ, si sanguis spectetur, omnine suum imperium. Paullò distinctius de Turcicâ Nobilitate agit LAUR. RISEBERGIUS *l. 4. de Polit. Turc. rebus:* Nobiles, quos Tzlebios, seu Zelobinos, seu Celevios vocant, genere habent quidem, parum autem honorant. Sultani enim sibi ab illis metuentes ad nullas dignitates eos evehunt, sed Mammeluccos eis preferunt, utpote quos quoties libet rursus ejicere absq; periculo seditionis possunt. Virtute nobiles, quos Padischa Humculari, i. e. Mancipia Sultani, vocant, primum locum obtinent, ut qui rebus praeclarè gestis ad honores evehuntur. Ex horum numero Bassæ Nobiliores sunt, Ibarim, Hali, Hazon, Acomathes, Sinan, Ferrathes, &c. Conferti meretur BUSBEQVIUS in *Epist. Turc. l. 1.* adductus ab HORNEJO *l. 1. Phil. mor. c. 6. n. 10.*

XI. Apud Saxones & Germanos cæteros discretos semper Nobiles à plebeis fuisse, Dn. PETRUS HEIGIUS *quæst. Jur*

Jur. 2. n. 64 auctor est, Hanc Germanorum nobilitatem omnium hodie antiquissimam esse, KIRCHNERUS probat, *Diss. Pol. 12, Coroll. 12.* dicitq; αὐτοχθονοῦν eam esse & indigenam, non aliunde ductam, falsasq; esse pronunciat quarundam illustrium familiarum origines, quas nonnulli ab Italis & veteribus Romanis derivant. Auctor ejus communiter fertur *Henricus Auceps Imperator*, qui primū operam dedit, ut extinctis præcellentibus familiis bellis Hunnicis & superioribus mutationibus Carolinis aliæ subrogarentur. Hinc victis Hungaris penes Merseburgum universos ferè Aulicos suos unà cum iis, qui viriliter & fortiter se præstiterant, nobilitavit. Idem ut nobilitatem apud se collectam post exantlatos belli labores ludo aliquo jucundo & honesto recrearet, ludos equestres instituit, certisq; ordinavit legibus, in quibus inter alia cautum est, ut nemo ad ludos istos admittatur, qui nobilibus non sit ortus parentibus, & ex quatuor avis nobilitatem suam intemeratam & inviolatam ostendere non valeat. MUNSTER. l. 30 *Cosmograph.* REINER. REINECCIUS *de orig. nobil.*

XII. Ex præmissis jam satis constare arbitror, nullam ferè gentem, nullam Rempubl. reperiri, in quâ non aliqua dignitatis equestris ratio habeatur. Equidem non defuerunt parū a qui rerum æstimatores, qui Nobilitatem nihil, præter nudum verbi sonitum, ab omni re destitutum, superbiorumq; hominum inventum dicere ausi fuerunt: in quorum classem MATTH. STEPHANUS *de Nobil. c. 2. Sophistas* refert, qui *Stoicorum*, & præsertim *Chrysippi* auctoritate fulti, nobilitatem spreverunt, eamq; *ramenta, rem fictam, commentumq; præpotentium civium* asseruerunt. Parili ratione *Diogenes Cynicus* omnem nobilitatem ac gloriam, & cætera hujusmodi risit, dicens ea esse, *προκοσμηµατα κακίας, velamenta malitiæ.* LAERT. *in ejus vitâ.* Atq; cum unus idemq; pater omnium sit, una & mater, idem nativitatis initium, idem exitus: cum

lutum omnes habeamus generis principium, & qui in purpura & bysso nutriuntur, & qui in paupertatis abyssu consumuntur, parum utique nobilitati generis tribuendum videtur. Unde circumferuntur triti vericuli:

Si pater est Adam cunctis, si mater & Eva;

Dic, cur non simus nobilitate pares?

Et illud SEB. SCHEFFERI:

Cum neret conjux, & humum laniet Adamis

Vomere, nomen ubi Nobilitatis erat?

Quod Germani ita efferunt:

Da Adam grub / und Eva spann /

Wer war allda ein Edelmann?

Et horum imitatione Angli: When Adam do lve / and Eva spann / who was then a Gentelmann? Quo dictorio celebris ille seditionum in Angliam concitator, Johannes Ball, utus legitur in concione, qua plebejos excitabat contra nobiles, inaequalitatem dignitatum hominum injuriam obortam dictitans, eamque ad primam aequalitatem revocandam, in qua DEUS unumquemque creaverit. ARNIS l. 2. de Jur. Majest. c. 3. n. 17. Ad consentur eandem opinionem probasse Aegyptii, qui cum se omnium vetustissimos crederent, omnes aequaliter nobiles existimabant. Ideoque cum quis mortuus esset, in oratione funebri nihil ab his referebatur, quod majores aut consanguineos ejus respiceret, ut Graeci facere solebant. DIODOR. SICUL. l. 1. Biblioth. c. 5. Sed & quaedam Scripturae loca parum favere nobilitati apparent. Paulus utique neque Barbarum, neque Scytham, neque Servum, neque liberum inter novos homines agnoscit Col. 3. 10. & II. ex quo effato improbari videtur ordinum in Christianam Republ. distinctio, quorsum & nobilitas spectat. Quin & non multos nobiles in vocatione comprehensos asserit 1. Cor. 1. 27. Nec abs re Judaeos taxavit Johannes Baptista, qui referendo genus suum ad Abrahamum inanem nobilitatis gloriam

riam captabant. MATTH. 3, 9. LUC. 3, 8. Quid? quod in nullo bonorum genere collocari nobilitas videatur, quod ipsa maioribus exposita calamitatibus, morbis, caedibus, insidiis, nihil corpori ad robur, ad pulchritudinem, ad valetudinem, nihil animo vel ad recte contemplandum, vel agendum peculiari- ter conferens: cum humili genere natos homines plerumque ad virtutes aptiores propensioresque, & conditionibus aliis commemoratis longe superiores esse videamus. Ipse quoque Philosophorum princeps *Aristoteles* hoc in negotio haesitasse creditur, dum *in libello de Nobilitate*, cuius fragmentum adducitur a *STOBAEO*, *Serm. 84.* omnino dubitat, quos appellari nobiles oporteat, ac tandem concludit testimonio *Lycophronis Sophistae*, ad opinionem appeti nobilitatem, revera tamen ignobiles ab nobilibus nihil differre. Nec aliud eum innuere opinantur, quando *1. Rhet. 9.* docet, *laudatorem non ad demonstrandum, sed faciendam duntaxat honestatis fidem a nobilitatis titulo ducere argumenta posse.*

XIII. Haec utut primam fronte multum momenti polliceantur, protinus tamen amittunt gratiam, ad veritatis lanceam si expendantur. Satis vel *universalis propemodum generum consensus* evincit, non in opinione nudam sitam nobilitatem esse, sed suis inniti fundamentis, quae nemo Sophistarum subruet. Notum in vulgus est, *praemis ac poenis contineri Rempublicam.* Quod dum observat prudens Princeps, honoresque non decernit tantum bene meritis viris, sed eos etiam continuari in posteris vult, ecquis ejus gratiae fructum pro nihilo reputabit? Non dicam, quod in ipsis *sacris literis* honorifica equestris ordinis mentio fiat, nobiliumque extirpationem DEUS in peccatorum poenam minitetur. Ipsa praeterea *rerum natura* in simili probare nobilitatem videtur. Nam si in metallorum genere aliud alio praestantius est: si arbor arbore insigniores ac suaviores edit fructus: si in animalium coetu

magni interest, quo quodq; genere ortum: cur in hominum genere, quod in procreatione sobolis cæteris animalibus simile est, non idem concedendum? Si obveris non perinde in liberos transfundi merita & virtutes parentum, veluti rerum naturalium dotes, aut brutorum vires propagantur, parùm efficis, nisi omne privilegium, quod pro se & posteris suis bono conceditur civi, tollere velis: nisi DEUM gloriosum temerè injustitiæ postules, quòd munera & dignitates quibusdam familiis voluit esse hæreditarias. Quia & ipsa virtutum semina suo modo per majores ad posteritatem transmittuntur. Cernimus utiqve certa quædam hominum studia, moresq; invariabiles pro locorum & regionum variâ naturâ & temperamento ad successionem perpetuâ hæreditate traduci. Ea quoq; quæ forte fortunâ in parentum se exerunt corporibus, temperamenta, morbi, generatione in sobolem transferuntur: quid mirum itaq;, & animorum cum corpore complicatorum propensiones, quæ ut plurimum corporis temperamentum sequuntur, in liberos, qui parentum quasi partes sunt, posse propagari? Adjicit sententiæ nostræ calculum ipse Philosophus, dum *l. i. Hist. animal. c. 1. Nobilis, inquit, est, qui ex bono prodiit genere: generosum verò est, quod non degeneravit à suâ naturâ. Et 3. Pol. 8. ait, Nobilitatem apud omnes in honore haberi: quòd consentaneum, ex melioribus ortos esse meliores.*

XIV. Omnes equidem pari sorte nascimur; ast virtute distingvimur, cujus externum signum ac præmiùm cum nobilitas sit, ad naturalem ortum profectò nequaquam referenda est. *Nulla consequentia est,* inquit Dn. JAC. MARTINI *Disp. Evdemonol. 12. q. 1. Omnium una fuit origo: ergò una quodq; eademq; ab eâ successio. Quandoquidem ob regionum, vitæ generum, institutionum, consuetudinum, alimentorum, animi affectionum, & similium varietatem, variè in longissimâ serie continua-*

nuat à illà successione redditæ sunt causæ, proindeq; varia ex illis
orta, effecta. Civilis res nobilitas est, ex imperantis arbitrio
pendens: ad naturalium igitur rerum causarumq; classem non
magis revocanda, quàm imperandi parendiq; munera. Quod
si ad primævam æqualitatem refingenda essent omnia, cui
bono principum subditorumq; officia, leges, ordines tam so-
licitè DEUS explicasset? Appositè NOLDEN l. d. c. 7. In Prin-
cipatu nihil, quàm personarum æqualitas, perniciosius, non secus
ac unisonum murmur in fidium concentu. Æqualitati naturali
non repugnat personarum dignitatumq; distinctio, quemad-
modum & ipsa natura in progeneratione hominum non ubi-
vis paritatem observat, sed nonnullos mente ac corpore va-
lentes, alios debiles serviliq; ingenio producit. Unde illud,
cuius in §. 13. mentionem fecimus, in Nobilitatem icomma
dignâ responsione exceptum est:

Dum genus hoc bar dum est alio mage, fortius illud,

Scis, cur non simus nobilitate pares.

Nec minus heroicè, quàm modestè Maximilianus I. Imp. ad
rythmos supra memoratos Germanicos Norimbergæ in cu-
riâ descriptos regessit:

Ich bin zwar wie ein ander Mann /

Ohne daß mir Gott die Ehre gann.

Paulus in allegato loco non magis tollit civilium ordinum di-
stinctionem, quàm ad Gal. 3, 28. discrimen inter masculum &
fæmellam; sed agit de libertate spiritali, & promanantibus inde
spiritalibus donis, quæ Deus omnium ordinum hominibus
citra omnem personarum respectum vult esse communia. Ne-
mo quoq; Nobilium à DEO à vocatione fidelium excluditur,
nisi seipsum per vitia, quod innuit Paulus, excludat. Judæorum
factum jure taxabat Johannes, qui solâ generis claritate gloria-
bantur, Progenitoris verò sui virtutes susq; deq; habebat, qua-
rum tamen respectu filii Abrahæ habebantur. Unde subjun-
git:

git: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Et paullo post: *Vos ex patre Diabolo estis, & opera patris vestri facitis.* Ad reliqua respondet SIMON. *de verâ Nobil. c. 2.*

XV. Sed disputandum porrò est, unde equestris ordo procedat & Parùm ad rem facit, quod afferre plurimi in disceptationem solent: *utrum nobilitas sit juris gentium, vel civilis &* Non protinus juris gentium est, quod à plerisq; , vel omnibus gentibus usu recipitur. Civile quid sapere nobilitatem, paullo ante diximus. Eximenda proin gentium juri, civiliq; vindicanda Majestati est. Hæc uniuscujusq; dignitatis civilis fons est & scaturigo, abs quâ fluunt omnes, & in quam refluunt. Nemo à seipso acquirere nobilitatem potest, sed ab eo accipiat oportet, qui τὸ κύριον in civitate habet. Hujus etenim est, decentem inter cives stabilire ordinem, & communem æqualitatem eorum, qui belli pacisve inclaruere artibus, prærogativâ temperare. Non hesternum hoc inventum est, sed antiquissimis Legumlatoribus frequentatum, qui Nobiles semper à plebejis se junxerunt. De Athenarum conditore *Theseo* testatur hoc PLUTARCH. *in ejus vit.* de *Romulo* DIONYS HALICARNASS. *l. 2. antiquit. de Solone* ARISTOT. *2. Pol. 10.* & PLUTARCH: *in Solone.* Vid. TIRACQUELL. *de nobil. c. 20. n. 4.* Nemo prudentiorum summo Magistratui jus leges ferendi civiles abjudicavit: quin magis ita hoc ipsi vindicatur, ut non sancire tantum communes Leges, sed & ab earum obligatione quosdam gratiosè eximere, ac in eminentiorem evehere statum possit. Hinc matris pulcherrimæ non indecora soboles enata est, Proletarium est, quod oggerunt, non Principis ubiq; beneficio exstare nobilitatem, sed naturali nativitate propagari. Nam & hoc ex indulgentiâ Majestatis est, quæ transfundi eam per genus, non uni inhærerere personæ, voluit. Et fuerit profectò unus ad ultimum oportet ante natos nobiles, qui dignitatem istam primus à potestate summâ acquisiverit. Quicquid itaque

raque; hanc in parte dicatur, tandem res ad eum redit, qui principem in Republica locum tenet. Eunt hic per exempla, de Nobilitate qui commentati sunt, ac Imperatori Romano in toto Imperio, Regi cuilibet in suo regno, Ducibus ac Principibus Superiorem non recognoscentibus in suis territoriis, Rebus publicis denique liberis, quae & ipsae superiori dominio non subsunt, hanc potestatem transcribunt, quamvis ultimae parcius caeteris hoc jus exerceant, quasdam & eo plane non esse usas constat. Confer NOLDEN. l. c. c. 2.

XVI. De Romano Pontifice dubium est, *utrum & ille justus Nobilitatis architectus sit?* Videas hic aulae Romanae parasitos pro idolo suo tanquam pro aris & focis decertare, dum Papam supra omnes Reges collocant, & inter Principes seculi tenere Monarchiam affirmant, omnes denique ab illo dignitates tanquam a fonte & stipite provenire autumant. Sed paullo nasutioribus risum debent. Ecquis enim sancto illi sycophantae suprematum supra Reges ac universalem Monarchiam concessit? Meminisse debebant illius Christi Salvatoris: *Reges gentium dominantur eis: & qui potestatem habent in eas, benefici vocantur. Vos autem non sic; sed maximus inter vos sit sicut minimus, & qui Princeps est, sicut minister.* Luc. 22, 25. & 26. Tantum profecto sibi non sumpsit Petrus Apostolus, pro cuius successore se Pontifex effert. Nescit Scriptura, imo rejicit universalem Monarchiam, qualem Papae tribuunt, & ratio eam pro impossibili habet. Nonnulli discrimen faciunt *inter Pontificem, quia Pontifex est, & quia Princeps Italiae dicitur.* Priori modo regalia ipsi non concedunt; posteriori tamen ex oscitantia Imperatorum, cum baculum Aaronis & gladium Nimrod di una manu teneat, jura Majestatis habere, & creare Nobiles, Duces, Principes, Reges opinantur. NOLDEN. l. c.

XVII. Multum vero emolumenti & Majestati & toti Reipublicae affert nobilitandi potestas. Nam & aulam Principis facit augustiorem, & subditos magistratui magis obnoxios

C

xios

xios, & virtutis amorem in civibus excitat, quam tantis ornari præmiis vident. Quo magis Principi danda opera est, ut cautus & parcus sit hujus dignitatis erogator, nec jure hoc nimis prodigè utatur, nisi favorem suum exponere contemptui, ac dignitatem ipsam reddere obsoletam velit. Rarum esse oportet, quod diu carum velis. Ipsi Romani Principis terrarum populi honores, dum rari fuerunt ac tenues, ob eam causam manserunt gloriosi; effusi, obsoluerunt. CORN. NEPOS in *Milt.* c. 6. n. 2. Solonis equeidem dictum fuit, eos, qui apud reges in precio sunt, esse calculis similes, quibus in exponendis rationibus utimur. Ut enim illi interdum majorem numerum, interdum minorem significant: ita & reges horum quemque, prout libitum fuerit, aliquando illustrem & inclytum, aliquando obscurum habere & ignobilem. TIRAQUEL: *de nobil.* c. 6. Ast laudabilis Princeps recogitabit, vanam esse nobilitatem, si vero suo fundamento destituatur, nec facilius se solo beneficio ex ignobili nobilem facere posse, quam ex stulto sapientem. HIPPOLYT. à COLLIBUS in *Nobili.*

XVIII. *Virtus* itaque est, quæ prolectare hanc Principis benevolentiam potest. Ut enim non ex quolibet ligno fit Mercurius: ita nec ex quolibet homine nobilis formatur, sed ex eo tantum, qui virtuti deditus est. ARUM. *Vol. 1. Discurs. de I. P. Disc. 16. Concl. 9.* Pensitavit hoc Romana Respublica, quæ nulla unquam nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, de quâ VELLEJUS l. 2. *Non novus hic mos Senatûs populiq; Romani est putandus, quod optimum sit, esse nobilissimum: nam illi antiqui ante primum bellum Punicum, abhinc annos trecentos, T. Coruncanium, hominem novum, cum aliis honoribus, tum Pontificatu etiam maximo ad principale extulere fastigium, & equestri loco natum Sp. Carviliam, & mox M. Catonem, novum etiam Tusculi urbis ingvilinum, Mummiamq; Achaicum in Consulatus, Censuras & triumphos provexere: & qui C. Ma-*

rium ignota originis usq; ad sextum Consulatū sine dubitatione Ro-
mani nominis habuere principem: Et qui M. Fulvio tantum tri-
buere, ut penè assentatione suâ, quibus vellet, principatus concilia-
ret: quicq; nihil Asinio Pollioni negaverunt, quo nobilissimis sum-
mo cum sudore consequendum foret: profectò hoc senserunt, in cu-
juscunq; animo virtus inesset, ei plurimum esse tribuendum. Sciti-
cet præmium esse Nobilitas debet: antecedant itaq; oportet
merita; cum ante meritum exigere præmium inuersus rerum
ordo sit. Hanc nobilitandi rationem observari à Venetis, au-
ctor est BODINUS 3. de Rep. 8. docetq; eos ab illustri vetusta-
te earum gentium, quæ publicis consiliis & negotiis intentæ
semper fuerunt, nobilitatem metiri.

XIX. Solet equidem nimiam principum indulgentiam, sive a-
viditate etiam, quod vult CLUVERUS l. 1. Germ. antiq. c. 15. sa-
tis frequenter hæc in re peccari, dum indignissimi etiam in
sacrum illum Nobilium ordinem non modò admittuntur,
sed ultrò adsciscuntur, tantaq; frequentiam nova nascuntur no-
mina, ut Magnif. ZIEGLERI nostri iudicio, *Dissert. de Jure
conferendi dignitates*, §. 48. migrationem gentium in has terras
factam fuisse haud vanè quis opinari queat. Quare quibus-
dam, Principem non ineptè lapidi Philosophico comparari pos-
se, persuasum est. Quemadmodum enim lapis ille ex plumbo
facit aurum; sic Princeps multiplicare potest Nobilitatem, &
tingendo in Nobiles transformare, si qui indigni. NOL-
DEN l. c. c. 7. Ast quemadmodum ingens discrimen est inter
aurum à naturâ elaboratum, & Chymicorum arte produ-
ctum: ita & Nobilitas, quæ virtuti innititur, superabit eam,
quam sola Principis benevolentia excitavit. Scitè HOR-
NIUS l. 2. de Civit. c. 7. §. 1. *Potest quidem princeps etiam in indi-
gnum collocare axioma hujus eminentiæ: sed Principis ipsius maxi-
mè interest, ne id fiat, Et si fortè accidat, Nobilitas sine funda-
mento est.* Hominum quidem opinione fictam nobilitatem
fuerunt adepti, veræ tamen Nobilitatis sine virtute decus
non habent. Quid jam de iis censendum putabimus, qui Prin-

reipum munere Nobilitatem sordibus, flagitiis, ac foedis simis obsequiis acquisiverunt? Sic Cn. Flavius & Tribunus plebis, & Senator, & Aedilis Curulis à populo Romano factus est, ob surreptum actionum librum. LIVIUS l. 9. c. 46. quo facto tantà Senatus indignatione exarsit, ut annulos ab eo abjectos fuisse in antiquissimis reperiatur annalibus. PLINIUS L. 33. Ita Philippus II. Hispaniarum Rex jura nobilitatis cum 25000. coronatis annuis Assassinis promississe fertur, qui Wilhelmum, Principiū Auraiicū, Comitemq; Nassoviae, vel vivum sisterent, vel mortuum traderent. EMAN. METERAN. L. 10. Hist. Belg. sub anno 1580. Scilicet dignitas malis tributa dignitas non est, nota est. SALLUST. de Bell. Jugurth. c. 4. neq; sceleris praemium constituendum, quod virtutis esse testimonium debebat. Referenda haec talia inter flagitia seculi sunt, ubi fas versus atque nefas, & ex libidine cuncta aguntur.

XX. Ceterum cum non una virtutis ratio sit, sed modò in vestigandis abstrusissimarum rerum naturis, perficiendâq; cognitione nostrâ occupetur; modò gubernet mores nostros, vitamq; sociale suâ beet excellentiâ, jam dispiciendum est, quænam præ cæteris equestrem ordinem mereatur. Hic rememinisse profuerit, quæ in finem inventa nobilitas sit; ut nempe sine gravi ætarii onere civium in Republicam compensentur merita, posteriq; majorum facta imitentur. Eam proin virtutem pro proprio suo fundamento habebit Nobilitas, abs quâ civili societati gloria & salus est. Destinatus homo per naturam est ad vitam sociale cum hominibus colendam, sufficientibus ad id instructus mediis, quæ & innata honestorum turpiumq; discrimina, & necessitatis ratio, & utilitatis amor eidem commendant. Quicumq; itaq; sive turbido rerum statu, sive quieto, utilem Republicæ vel manu, vel consiliis navat operam, factisq; suis inclarescit, hunc eâ pollere virtute judicamus, quæ nobilitatem mereri potest. ARISTOTELEM audiamus, qui 10. Eth. 7. civiles & belli.

bellicas actiones omnibus iis, quæ secundum virtutem sunt, pub-
licitudine magnitudinèq; antecellere dicit. Non solis armis
floret Respublica, sed legibus maximè ac consiliis. Parvi sunt
foris arma, nisi sit consiliū domi. CICERO I. de Offic. Haud æ-
grè itaq; ferent Martis alumni, eos sibi in participandâ digni-
tate equestri cœquari, aut præponi etiam, qui prudentiâ suâ,
justitiâ, eloquentiâ, cæterisq; virtutibus excellunt. Hæc
vera illa scientia est, quam Nobilitatis matrem rectissimè fa-
ciunt. Eâ de causâ Ulysses se prætulit Ajaci:

Tu tantum corpore prodes,
Nos animo: quantoq; ratem qui temperat, anteit
Remigis officium, quanto est dux milite major,
Tantum ego te supero: nec non in corpore nostro
Pectora sunt potiora manu, vigor omnis in illis. OVI-
DIUS 13. Metamorph. fab. 2.

Qui sapientiæ se dedunt studio, & contemplationibus rerum
indulgent, magno & hi honore digni sunt, quod non tantum
officii sui partes, ad quas à Deo creati sunt, tam laudabiliter
administrent, sed & insignes inde fructus ad humanum genus
transmittant: ast cum divinis rebus ita plerumq; se manci-
pent, ut humanarum rerum abjiciant curam, ac societates
aut negligant, aut parum juvent, non tam capaces nobilitatis,
ac priores, erunt. Ex cæteribus hominum, non ex solitudinibus
Nobilitas prodit, ac proinde iis præsertim adscribitur virtu-
tibus, quæ hominum communionem respiciunt. Probamus
SINIBALDI UBALDI in Nobil. Concl. 13. pronunciatum: Qui
sapientiæ studio dediti omnem operam vel in Geometricis, vel in
Physicis, vel in Musicis conferunt, cæteris autem hominum relin-
quunt, & otium persequuntur, at habitem nobilitandi materiam
vix præbent. Non equidem, quod illa bonorum virorum opera
sit ullo modo contemnenda, sed cum intra domesticos contineatur
parietes, nec se ulterius effundat, haud videtur iis honoribus di-
gna, qui tribuuntur illis, quorum virtus latissimè patet. & Rem-
publ.

publ. universam complectitur. Nam cum non nobis nati simus, sed natura nos ad reliquos homines juvandos impellat & exsuscitet, is videtur se ex omni parte commodum prestitisse, cujus studium erga Rempublicam magnis in rebus perspectum fuerit.

XXI. Quod si tamen tam excellens horum eruditio sit, ut cum paucissimis comparari possit, vitaq; à civili conversatione non abhorrens, haud perperam Princeps faciet, si in harum literarum gloriam, immensiq; laboris mercedem, eos ad nobilium gradum evehat: quemadmodum nos edocent Historiæ, quod nonnulli ob excellentem alicujus artis peritiam, aut æstimationem officii, nobilitatis honorem acquisiverint. *Picturam & statuariam Græcorum & Latinorum opinione nobilitatâ, BODINUS memorat 3. de Republ: 8. Quid enim, inquit, Protogene clarius? quid illustrius Apelle? cujus una tabula, quæ, quod artificiosissimè accurata esset, Rhodum obsidente Demetrio ab interitu servâta, trecentis amplius talentis æstimata fuisse dicitur. Et Fabio nobilissimo viro laudi datum est, inquit TULLIUS, quod pingeret. Sic Sixtus V. Pontifex Romanus Dominicum Fontanam, quod Obeliscum Vaticanum transporterat, Equitem creavit. Et Selimus II. Turcarum Imperator Gentilem Bellinum, ob excellentem pingendi peritiam Constantinopolin evocatum, in equestrem ordinem cooptavit. LIMNÆUS l. 6. I. P. c. 1. n. 55. & 57. Similiter, auctore PLINIO l. 7. c. 37. Astrologia Berofo insignes honores peperit, dum ipsi ob divinas prædictiones publicè in Gymnasio statuam inauratâ lingvâ statuerunt. Huc & referri potest, quod in Polonia Regis filii Ephorus, seu Præceptor, Nobilitatis dignitatem consequatur. VECHNERUS de Nobil: c. 6. tb 19. Sed hæc & hujusmodi uti extra ordinem contingunt, ita per quandam ἀναλογία ad verum nobilitatis fundamentum sunt revocanda, nec ubiq; & in omnibus exemplis probanda veniunt.*

XXII. Tametsi verò paullò superius asseruimus, rebus in bello præclarè gestis comparari civilem nobilitatem posse, id

id tamen eò trahendum non est, *quasi militia per se nobilitet*,
& continuo fiat nobilis, quisquis miles est. Omnes omnino
cives, si usus ita postulat, ad capienda pro Patriâ arma obli-
gantur; unde & apud Romanos qui ad delectum non respon-
debat, libertatem perdiderat. NOLDEN. *l.c. c. 3* quis verò
cunctos inde acquirere nobilitatem asseveraret? Dignitatem
infert equestris ordo; non æquè militia. Et si concederemus
maximè, militiam esse dignitatem, nondum tamen res con-
fecta esset, cum non omnis dignitas protinus nobilitet. Igna-
visimi quicquid ac perditissimi, ubi Patriam prius deturparunt
fordibus, flagitiis conscientiam, communiter sectari bellum
solent. Sed quibus rebus intenti? Dicam GVEVARÆ ver-
bis, *Horol. Princ. l. 3. c. 17. Alii templa spoliant, alii tumultum exci-
tant; hi fores effringunt, illi vestes furantur; hi liberos capi-
unt, illi captivos solvunt; noctem ludis, diem blasphemis transi-
gunt. Jam leonum more preliantur, mox leporum more fugiunt:
alii seditionum contra tribunos flabella sunt, alii ad hostes trans-
fugiunt. Ad bonum denique omne inepti sunt, ad malum verò omne
plus quam liberi. Uxores deserunt proprias, & abducunt alienas;
puellas ingenuas vitiant, virgines innocuas decipiunt; nullam
pretereunt civem, quam non sollicitent; nullam hospitam, quam
non violent; matrimonium solvunt vetus, & novum singulis an-
nis querunt conjugium. Ita nimirum quicquid libet, & nihil eo-
rum, quæ debent, faciunt.* Qvis jam his studiis quæri nobi-
litem affirmaret? Tum demum itaque miles gradum sibi ad
nobilitatem parat, cum & horum vitiorum expertus est, & for-
tibus factis gloriam ac dignitatem invenit. Sic si quis à Princi-
pe præficiatur exercitui, is satis nobilitari tacite videtur. Nam
& hi apud Romanos nobiles existimabantur, & in maximo
dignitatis gradu collocati. TIRAQVELL. *l. c. c. 8.* Dandum &
aliquid gentium nonnullarum institutum est, apud quas simplex
militia nobilitat. Exempla dat BODINUS, *l. c. Perusinarum ac
Florentinorum moribus non ita pridem, qui militare cœpis-*
set

set, ex ignobili nobilis efficiebatur. Apud Ægyptios non nisi Calasiris, & multis postea seculis, Sultanorum dominatu, non nisi Mammelucis militare, armave gestare licebat, qui propterea immunitates maximas consequerentur.

XXIII. A virtute ad divitias multi dilabuntur, quas pro verâ nobilitatis causâ non erubescunt venditare. EURIPUS *Disanè in Iphig. & Archel. & alibi.* Nobilis is est, qui magnam auri argentiq; vim possidet. In quo erroris luto ARISTOTELIS etiam quodammodo deprehenditur, dum *4. Pol. 4.* expositis plebejorum generibus confestim subdit, nobilium opulentiam & claros natales differentiam facere inter plebejos & nobiles. Multi fuerunt veteres & Græci & Latini Poetæ in recensendâ illâ de divitiis opinione. HORATIUS *lib. 2. serm. sat. 3.* ita discripsit:

Omnis enim res

Divitiis paret, quas qui construxerit, ille

Clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam rex.

Quinimò veterum nonnulli eò declinârunt, ut divitiarum opposito, paupertate nempe & inopiâ, omne decus nobilitatis non tantùm obfuscare, sed etiam planè plenèq; obliterari falsò crederent. AVENAR. *Coll. Pol. Diss. 9. lib. 9.* Nec hodierna ferè experientia stabilire aliud videtur, quâ Nobilis eò nobilior reputatur, quanto ditior est. NOLDEN. *l. c. c. 21.* huc spectare videtur *Venetorum* factum, qui bello Clodiensi publicè edixerunt, fore, ut quicumq; è populo pecuniâ, commatu, militeve Rempublicam juvisset, ex illis triginta, qui omnium optimè meriti crederentur, in numerum Senatorum adlegerentur, maneretq; ea rata dignitas eorum posteris; cæteris finito bello singulis annis quinq; nummùm millia dividerentur, id quod etiam ita præstiterunt, nullâ inter veteres & novas illas familias æmulatione obortâ. SABELLICUS. *l. 6. Dec. 2.* Perinde & *Hispaniarum Rex*, dum ante aliquot annos ditissimos Italarum nobilitavit, magna bellorum subsidia com-

comparavit. CONZEN. 8. Pol. c. 15. §. 5. Verum enim verò
magnum quidem nobilitatis ornamentum divitiæ sunt, ac
decus ejusdem egregiè augent & conservant, per se tamen
eam efficere non possunt. Nihil virtuti, & quod ex virtute na-
tum, cum fortunâ commune est, quæ pessimis ut plurimum
magis æqua, quam bonis. Non pecuniâ, sed virtute digni-
tas emitur, nisi personis vilissimis, & infamibus etiam, quibus
satis quandoq; opum suppetit, dignitatum portas recludere
velimus. Probamus judicium BODINI, l. sæpius citato: *Quid
absurdius, aut perniciosius, quam dignitatem quæstu, ordinem
pecuniarum, nobilitatem opibus metiri? cum sæpius aut furtis, aut ra-
pinis, aut tyrannorum effusâ in deterrimum quæmque largitione,
aut casu quodam, ac fortuna temeritate, unde fortunas dici pu-
tant, dentur & eripiantur? At honestas nihil habet cum fortunâ
commune, nec vere virtutis ac nobilitatis possessio furtis eripi, nec
incendio absumi, nec aquarum voragine absorberi, nec ullâ vi pe-
rire potest.* Parum ponderis adversæ sententiæ ex Aristotelis
accedit testimonio. Ipse 4. Pol. 8. insinuat, divites non esse no-
biles, sed plerumque tamen ita vocari. Et malè nobiscum agere-
tur, si omnia Aristotelis dicta pro irrefragabilibus argumen-
tis habere cogeremur. *Pacta dictis suis taxant magis perversos
seculi mores, aut recensent, quam eosdem ut approbent.*
Et in proclivi esset, contrariorum effatorum sat uberem pro-
ventum suppeditare. Quod denique in extremo necessitatis ca-
su à Principe vel Republicâ agitur, non protinus trahendum
in exemplum est, aut pro justo agnoscendum. Ad honesta-
tem in facto demonstrandam rationibus gravissimis, non ex-
emplis esse opus, vel pueris innotuit. Neque Veneti in confe-
rendâ nobilitate solius pecuniæ, sed meritorum cum maximè
rationem habuerunt. Audiamus CONZENIUM, l. c. *Nulla hic
Reipublicæ, nulla privatis infertur injuria. Quod si nobilitas tan-
tum virtutis esse debere objiciatur, facilis responsio: Eos, qui pecu-
niâ patriam adjuvant, non inferiores esse aliis, qui fumosas ima-*

D

gines

gines jactant: nec enim solius pecunia, sed virtutis etiam ratio
babetur. Magna verò illos esse animo, vel hinc discimus, quòd ma-
gnas pecunias minoris, quàm mediocrem honorem, aestiment.

XXIV. Tangendæ paucis & illorum opiniones sunt, qui
vel ordinem clericalem, vel claritatem patriæ, vel Astra quoque
veram Nobilitati causam dare persuasi sunt. Prima senten-
tia lubrico admodum innititur fundamento, quòd ordo cle-
ricatus comparatur militiæ. Ast notum, quantum certitu-
dinis iis tribuendum argumentis sit, ex similitudinibus quæ
concludunt. Hic certè comparatio instituitur ratione certa-
minis, quod uti militibus cum hostibus Reipublicæ, ita Clericis
cum adversariis DEI & Ecclesiæ spiritualiter intercedit;
non autem respectu civilis & politice dignitatis. Adde, quòd
cum mundana non nobilitet militia, nec inde pro divinâ &
spirituali probatio duci commode possit. Ad alteram dici-
mus, locum non reddere hominem meliorem, sed ex digni-
tate hominis honorem addi loco. Concinit his, quod de
Nervâ Imperatore, qui Trajanum Hispanum sibi successo-
rem designavit, scribit DION: Non eum deterruit, quòd Tra-
janus, homo Hispanus, nec Italicus erat, nec Italicus. Censebat e-
nim, virtutem cujusque, non patriam, existimari & ponderari debe-
re. Qui præclaris factis operatur, veluti Sol obscura etiam &
vilis loca lumine suo illustrat. Hæc Alexandro M. mens hæsit:
Ubi cunq; pugnabo, inquit, in teatro terrarum orbis esse me cre-
dam. Dabo nobilitatem ignobilibus locis. CURTIUS l. 9. c. 6. n. 22.
Eccui non liquet,

Summos posse viros, & magna exempla daturos

Verecun in patriâ, crassoq; sub aere nasci? JUVENAL.

Sat. 5.

An Platonem magis commendat (VOPISCI in Aureliano verba
recito) quòd Atheniensis fuerit, quàm quòd unicum sapientia
munus illuxerit? An eò minores inveniuntur Aristoteles Stagiritæ,
Eleatesq; Zenon, aut Anacharsis Scythæ, quòd in minimis nati
sunt

sunt viculis, cum illos ad caelum omnis Philoſophia virtus extulerit.

Quodſi tamen quispian nobilis in clarâ patriâ prognascat, non dubium eſt, quin aliquid ſplendoris & gloriæ ſuæ inde nobilitati accedat: quòd locorum ſitus haud rarò hominum quoq; ingenia formet, præterea quoq; educationis curam promoveat, ac non ſpernenda æmulationis exempla natis proponat. Confer SIMON. *de verâ nobil. c. 8. Tertia de Aſtris* opinio ſatis abſurda eſt, nec ſuis tamen patronis deſtituta. JULIUS FIRMICUS MATERNUS *l. 3. c. 4.* expreſſè ſtatuit: *Si Juppiter in primo cardine partiliter in parte horoſcopi conſtitutus fuerit, in iis præſertim ſignis, in quibus gaudet, vel in ſuis domiciliis, ac etiam in ſuis finibus, vel in altitudine ſua, nobiles facit.* Vid. TIRAQUELL. *l. d. c. 11.* At verò vix dici poterit, ſidera hæc talia ſignificare, nedum ut ea efficiant. Purum accidens Nobilitas eſt, ex libero conferentis arbitrio ortum trahens, in quod cum ſtellæ agere non valeant, nec talis iis attribui effectus poterit. Generis nobilitatem ſi intelligas, jam ſanguini ineſt, & cum eo propagatur, ab aſtrorum poſitu nec adjuvata, nec impedita. Et mirum ſanè, quòd non omnes, quorum nativitatem eadem cœli adſpexit figura, aut ſint, aut fiant nobiles, cum paritas cauſæ ſimiles quoq; de ſe gignere effectus conſueverit. Quouſq; nobilitatem pro civili habebimus privilegio, nunquam in eam ſideribus vim aliquam largiemur.

XXV. Cæterum cum ſummi Principes ſint inſtar uberriſſimorum fontium, à quibus in inferiores multi beneficiorum rivuli derivantur, nec quoad nobilitatis collationem adeò parci ſunt, quò minus eminent illud jus *in modum privilegii* quandoq; indulgeant iis, qui majeſtatem ipſorum proni venerantur. Sic ſecundum LIMNÆI aliorumq; ſcriptorum Juris publici ſententiam ex Romani Imperatoris beneficio Nobiles creat *Rex Bohemiæ*, in Bohemiâ ſcilicet, & eo attinentibus Provinciis, Moraviâ & Sileſiâ. Non minus *Auſtria Archiduces* conceſſâ illâ poteſtate fulgent, *in allen ihren Landen/ Herrſchas*

Schaffen und Gebieten / Grafen / Freyherrn / Ritter / Knechte /
auch gnugsame verdiente Personen von neuen edel zumachen.
Idem & de Comitibus Palatinis Rheni ex eorum privilegiis con-
stat. LIMNÆUS l. 6. l. P. c. 1. §. 32. & seqq. De Sacri quoque Palatii
Comitibus affirmat NOLDEN. l. 4. c. 2. §. 198. seqq. quod nobili-
tate possint, nobiliaq; insignia dare, si in specie hoc privilegium
(quod non præsumitur, nisi probetur) ab eminenti potestate ipsis
concessum sit: quòd nobilitatus ab habente potestatem talia
faciendi, ab ipso Principe nobilitatus dicatur. Post paucas
tamen subjicit lineas, quòd tales Bullatos Nobiles unquam ex-
stitisse sibi non constet.

XXV Non prætermittendum illud est, quòd vel ex
prescriptione, vel consuetudine atq; statuto quæri nobilitatem
posse communiter asserunt. Etenim, si quis nobilitatis præ-
rogativâ tam diuturno tempore, cujus initii non extat me-
moria, scientibus & patientibus his, qui civitatis regimini
præsunt, aut quorum aliàs interest, usus fuerit, vix est, ut de
eo dubitemus. Nam etsi præscriptio in se spectata sit inven-
tum juris civilis Romani, nec exteris Principibus valorem
suum invitis obtrudere possit; dum tamen vident, quosdam
hoc medio ad nobilitatis arcem affectare viam, nec contra-
dicunt, vel silentio suo id ratum habere, ac nobilitasse tacite
videntur. Consuetudine autem & statuto tùm demum no-
bilitas oritur, cum vel expressa Principis voluntas, vel tacita
intercedit. Sola vulgi opinio, quæ nihil ut plurimum minus,
quàm virtutem respicit, ac deprimi subito, quos paulò ante
evexit, longè deterior est, quàm quæ tam splendidum produ-
cere effectum valeat. Majestatis hoc munus est, quæ muta-
bili huic animali aliquid largitur, & vanam potestatis spe-
ciem relinquit. Populi utitur suffragiis, non quasi ipsius ar-
bitrium ad illa sit adstrictum, sed ut negotiis publicis eò ma-
jorem & auctoritatem & favorem conciliet, dum ingentibus
eos dignitatibus admovet, quorum virtutibus maxima pars
album

album calculum adjicit. Intelligenda tamen hæc de populo sunt, qui absoluta potestatis expertus est, cum cæteroquin, si summi imperii obtineat vim, per modum principis causæ ad producendam nobilitatem concurrat.

XXVII. Sed satis jam de iis egimus, quæ ordinem equestrem vel constituunt validè, vel conferendum svadent, vel conferentibus administram operam navant: Videndum porrò, quænam idonea profset materia, penes quam illud dignitatis axioma commodè residere queat. Ex eorum enim numero est equestris dignitas, quæ non per se subsistunt, sed alio, tanquam fulcro, cui innitantur, opus habent. Uti reliquæ morales ac civiles qualitates *personæ bonum* sunt, ita & nobilitas eam pro congruo subjecto habet, quod non equestris in novum per omnia transformat statum, certâ tamen ratione afficit, novâq; denominatione auget. Facesat stultum C. Caligulæ institutum, qui non nobilitare equum suum, sed in Romani Consulis evehere fastigium laborabat. XI PHIL: in vitâ *Caji*. Homo est, quem civilis ista dignitas bear. Hic vel adipiscitur primum nobilitatis honorem, acquisitumq; beneficium transfundit in posteros; vel partâ quondam per majores gloriâ fruitur. Priorem *auctorem gentis* commodâ appellatione nominare possumus, in & cum quo nobilitas incipit, in filiis pubescit, in nepotibus adolescit, ac in pronepotibus ætatem perfectam consequitur.

XXVIII. Invident nonnulli nobilitatis gloriam primo generis ductori, ac perinde cum eo comparatum esse putant, uti cum capite lineæ, ac unitate in numero; quæ principii quidem mererentur laudè, nec nomen tamen à re ipsâ traherent. Et favet huic opinioni *Romanorum* mos, apud quos, qui suâ industriâ nobilitatis insignia erant consecuti, *novi homines* vocabantur, *nobiles* verò, qui à novo homine procreati. Favet eadem *Germanorum institutum*, quo nec ad ecclesiasticum beneficium

ficiū in collegiis cathedralibus, nec ad equestres ludos ad-
mittitur ille, qui ex quatuor avis paternis & maternis nobilitatem
suam probare nequit. Sed non deprehendimus rationem,
quare illi à quibus posterius nobilitatis ducunt primordia,
ab eadem dignitate sint excludendi. Causam eorum perorat
propria virtus, meritorumque excellentia, ob quam summam
Principis indulgentiam hoc fastigium adepti fuerunt. Tota
profecto nobilitas, si nemo eandem caperet, nisi
nobilibus parentibus, aut majoribus ortus. Puncti lineæ
primordialis, unitatis item in numero dispar longe ratio est,
ac principii nobilitatis. Ex punctorum fluxu linea, ex unitatum
multitudine numerus generatur. Nobilitas non ex multi-
plici existit principio, licet in frangi posteris fluminis instar,
quò longius procedit à capite, eò magis augeatur. Nec ra-
tioni multum officit adducta in contrarium gentis cujusdam
consuetudo. Multa ex errore teruntur usu, multa ex speciali
instituto inter quosdam vigent, ex quibus male effatum gene-
rale concilietur. Non dubium est, principem nobilitando sup-
plere defectum posse, quem in gente statutum arguit, quando
ejus expressam in privilegio mentionem facit, maximè, si ple-
nitudine potestatis privilegii epiphonema sit: cum paria sint, inesse
qualitatem per naturam, vel privilegium. NOLDEN. l. c. t. 6. n. 18.

XXIX. Non desunt, qui moti iis, quas adduximus, causis
auctorem gentis cujusque summum & nobilissimum opinan-
tur, quos inter numerandus CASELIUS, in suo *Evysveï*, ubi ait:
*Qui forent Heraclida sine auctore gentis? Absque Hercule foret,
quis Heraclidarum nomen usurparet, vel audivisset unquam? Nec
controversum unquam fuit, vel erit, Heraclidis omnibus illustri-
orem Herculem. Et, quod in eo mireris, sine disceptatione ac invidi-
diâ. Annon etiam, qui initium dat, aut omnia facit in unâ quâque
re, aut plurimum? Annon in universum, qui largitur, beatior eo
judicatur, qui recipit, idque magis, si necesse sit accipere, modò is esse
velit,*

velit, quem se perhiberi gaudet, & tantum non ipse predicat. Ne-
scio autem, ut, cum nemo hoc neget, si ad sermonem ventum sit; in
aliâ tamen sententiâ pleriq; esse videantur, non falsâ solum, sed &
parum honestâ, quod in eum ingrata, cui omnia, vel quod in hoc
genere potissimum est, debeantur absq; controversiâ. Summis
jam olim viris novitatē fuisse objectam, historiæ memorant,
sed & graviter defensam. Hinc Ipbicrates, Atheniensium dux,
majori sibi vertit laudi, quod nobilitatis initium posteris re-
linquat. PLUTARCH. in Apopht. Multus in refellendâ novitatis
objectione fuit CICERO, in Orat. quâ respondet SALLUSTIO, ob-
scuritatem generis ipsi exprobranti. Ego, inquit, meis majori-
bus virtute meâ præluxi, ut si prius noti non fuerint, à me accipi-
ant initium memoriae suae. Tutius vitâ, quam turpiter egisti, ma-
gnas affudisti tenebras, ut, etiamsi fuerint egregii cives, certè ve-
nerint in oblivionem. Quare noli mihi antiquos viros objecta-
re. Satius enim est, me meis rebus gestis florere, quam majorum o-
pinione niti, & ita vivere, ut ego sim posteris meis nobilitatis ini-
tium, & virtutis exemplum. Non minori animo novitatem
suam defendit M. Vilius apud SALLUST: de Bello Jugurth. Con-
temnunt, ait, novitatem meam, ego illorum ignaviam: mihi fortu-
na, illis probra objectantur. Quod si me jure despiciunt, faciant i-
dem majoribus suis, quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas coepit.
Nunc videte, quam iniqui sunt, quod ex alienâ virtute sibi arro-
gant, id mihi ex meâ non concedunt: scilicet quia imagines non ha-
beo, & quia mihi nova nobilitas est, quam certè peperisse melius
est, quam acceptam corrupisse. Hæc autem περιφραση dicta
sunt. Novimus etenim, quod ubi dignitates civiles sunt
pares; potior ejus conditio sit, qui antiquiori pollet; quod eò
concludit firmius, si majorum virtuti propria merita jungan-
tur, quæ duplici a præstantia mirum quantum nobilitatem
auget.

XXX. Illud verò tacendum non est, quod virorum
propria sit nobilitatis consecutio, per quos in foeminas
demum

demum spargitur. Masculis etenim ex rerum ordine patent dignitatum portæ, à quibus foeminae communi instituto arcentur. Si quid secus contingat, id referendum ad ea est, in quibus princeps ab usitato more per eminentem potestatem suam recedit. Multò minus nobilitatis gloriam *infans* capiet; quòd virtutes ac merita eam mereantur, quæ tenellam verò ætatulam istam haudquaquam instruunt: quanquam nostris moribus non infrequens sit, magnatum filios, adhuc à matre rubentes, majoris momenti dignitatibus præfici. Nec obstat, puerum natum patre nobili statim esse nobilem, licet id non intelligat, & sic artem naturam imitari. Diversa enim ratio subest, cum in nobilitatis collatione virtus respicienda veniat, in propagatione verò illius ex principis privilegio sola in posteros per sanguinem transfusio sufficiat. Non solâ opinione, aut principis gratiâ niti nobilitatem æquum est, sed illustribus in Rempubl. meritis; nec sceleribus præbere ansam, quod incitamentum esse debebat, ad res præclare ac ex utilitate publicâ gerendas. Summis vehenda laudibus illius principis vox, à quo cum subrusticis moribus & vitâ incultus petiisset nobilitari, ipse princeps, qui naturam hominis nôrat, aptè respondit: *Divitem te facile facere possum, nobilem nunquam possum.* HERMES *Fasc. Jur. Publ. c. 32. n. 27.* Miramur haud injuriâ illos, qui vel *mortuos* ipsos satis putant idoneos, quibus equestris ordo conferatur. Nondum ad hanc temeritatem processit Romanus Pontifex, qui *consecrare quidem ossa, non tamen nobilitare solet.* NOLDEN. *l. c. c. 3. n. 14.* Non trahendum ad corpus nobilitatis decus est, sed animæ asserendum potius, cui honor omnis applicatur. Contrarium tamen tenet HERMES, *l. c.* his verbis: *Si is, qui in necem principis aliquid dolosè machinatus est, post mortem infamiâ notari; multò magis, qui præsentem vel imminentem necem à cervice principis sollicitè, fortè etiam sui corporis periculo, aut dispendio, avertit, nobilitari & insigniori titulo decorari poterit.* Sed damus quidem, benè meriti post

pos
ma
dign
me
HE
infe
tan
spe
riof
litas
X
rit,
cum
spur
han
dici
nob
don
inve
pro
ad
cuj
at;
quò
ducc
tem
vale
detu
nob
cont
& ac
nis,

post mortem gratam servari memoriam oportere, eumq; *factam & gloriam* sequi, non tamen eidem perinde convenire *dignitatem civilem*, qualis nobilitas est, sed rectius in vicinis meritorum viventibus ejus posteris conferri. Fallit ea, quam HERMES necit, sequela, ac ex oppositorum lege id saltem infert, uti scelestè facta in facinoroso etiam post mortem notantur infamiâ, ita benè meritos post exitum ex hâc vitâ prosperam sui memoriam manere. Comparatur cum mortuo *furius*, & ex hoc ipso non iudicatur *habilis*, quem ornet nobilitas.

XXXI. Quod si quis *infami* facinore vitam commaculaverit, ei jam occlusi sunt honorum aditus, nisi Princeps prius cum infamiâ dispenderit, & suppleat defectum, quâ ratione & *spurius*, natalibus scilicet antea restitutus, à Principis gratiâ hanc dignitatem obtinere potest. Idem de *servis* ferendum iudicium est, quorum conditio humilior longè, quàm quæ ad nobilitatis pertingat fastigium, nisi libertate à Domino prius donentur. Hoc verò aliquid habere dubii videtur, an etiam *invito* nobilitas obrudi possit? Aliàs id certum est, quòd quis pro alio invito possit debitum solvere; quòd condemnatum ad mortem, etiam invitum, renitentem, & perire festinantem, cujus innocentia cognita est, liberare pro eo appellando liceat; quòd servo invito & reluctanti conferri libertas possit; quòd refragantem è domo ruiturâ possimus & debeamus abducere; quòd medicus agrotum etiam invitum & repugnantem curare, curationisq; mercedem & impensam reposcere valeat: unde & ad nobilitatis collationem in invitum tutò videtur concludi posse. Verùm, licet Princeps invito fortassis nobilitatis beneficium conferre possit, non cogitur tamen contra inclinationem animi retinere. Nec enim invito datur & acquiritur beneficium, aut liberalitas, nisi favore *liberationis, libertatis & vite*, de quibus in contrarium adducta loquuntur.

E

cur

tur. Ac potest nobilitatis justam habere causam, cur nobilis esse nolit, puta, si non habeat opes, quibus dignitatem illam debito splendore in se & liberis suis conservare possit; si malit officia & artes, quibus à teneris assuevit, exercere, quæ tamen in nobilitatis contemptum vergunt: quamvis paucissimorum animis ea sedeat moderatio, ut magnitudinem animi dignitatum declinatione probent, ac fastidiant illud, quod alii per ignes ferrumque petere consueverunt.

XXXII. Cæterum tam amplus est Principum in conferenda nobilitate favor, ut non contineatur in eo, quem primitus afficit, sed ab eodem in alios quoque propagetur. Enim vero nobilitas ejus propria est, cujus est virtus, illius causa: tantâ tamen pollet vi, ut in auctore primo non terminetur, sed ad alios transmittatur. Coruscat *uxor* radiis mariti, & ex communicatione honorum ac dignitatum, quam unionis conjugalis vi sibi deposcit, nobilitatem etiam per maritum recipit. Quod in tantum equidem valet, ut & *plebeja mulier* nobili viro nubens hoc ipso efficiatur nobilis; quicquid etiam statuunt alii, qui nobilitatem non nisi sanguine, vel principis privilegio formaliter acquiri arbitrantur, ex nostrâ auctorem sententiâ sequi putant, nobilitatem à privato concedi posse, quod absurdum est. Nam & foeminam ignobilem matrimonio viri nobilis eandem participare dignitatem ex beneficio Principis est; unde *l. ult. C. de incol. & l. mulier. C. de dignit.* ita expressè loquuntur Imp. Valentinianus, Theodosius & Arcadius: *Mulieres honore maritorum erigimus, & genere nobilitamus.* Quapropter existimandum non est, privatâ auctoritate hanc nobilitatem produci, nisi & ejus per sanguinem translationem superioris abjudicemus gratiæ, privatique arbitrio transcribamus. Nolumus tamen inficiari, nobilitatem hanc non esse tantam, quantum judicamus, quæ ex Principis gratiâ primo auctori, vel à majoribus ex genere quaesita est

est: quod hæc participata sit, illa propria; hæcque facilius amittatur, quam illa; prout aliàs facilius amittuntur ea, quæ ex aliorum personâ habemus, quam quæ ex propriâ. HERMES, l. c. n. 52. Sed & illud meretur observationem, quod non liceat invertere dicta, & inferre contrariorum vi, *nobilitatem uxoris in maritum plebeum transire*. Mariti enim non coruscant radiis uxorum, sed uxores gaudent & illustrantur dignitate maritorum, à quibus quippe, & non per foeminas, familiæ conservantur. Et huc pertinet PLUTARCHI in *preceptis connubialibus* dictum, ad hanc fermè sententiam scribentis: *Quibus quævis ascendere, imbecillitate aut mollicitâ corporis impediti, neque videntur, eos sese flectere & procumbere docent. Ita & qui nobiles opulentasque uxores acceperunt, non se quidem præstantiores reddunt, sed illas comminuunt & debilitant*. Hæc re commotæ matronæ Romanæ, Virginiam, Auli filiam, patriciam, Volumnio plebejo nuptam, quod è patribus enuphisset, sacris in sacello *Pudicitia patricia* arceuerunt, quæ inde *Pudicitia plebeja* aram posuit. LIVIUS, 10, 23. Nec obstat, quod Dux, vel Princeps nubendo Reginae fiat Rex. Nam hoc fastigium non per solam nuptiarum celebrationem assequitur, sed requiritur insuper, ut solenni more Rex constituatur & coronetur.

XXXIII. Omnium tamen clarissima illa nobilitatis propagatio est, quæ in posterum fit. In Posterum, inquam: quia nec nobilitas ascendit ad parentes, aut avos, licet ex nobilitate filiorum quodammodo cohonestentur, cum tales genuerint, qui suam se virtute reddant illustres, sit gloriosum: nec transit ad eos, qui ex latere nos propinquitate sanguinis contingunt. Liberos, qui sic disponente Principe à parentibus hanc dignitatem trahunt, cujuscunque demerent sexus, eamque porro ad nepotum gregem transmittunt. Succeedunt enim in majorem locum, & eos quæ repræsentant, cumque naturali cum illis jungantur communiione, naturalis quidam ductus honorum

norum quoque largitur iis communionem, in quibus majores constituti fuerunt. Equidem Turcarum instituto, ut supra monitum, dignitatis ordo ex virtute cuiusque ponderatur: nec ultra nepotes avorum virtus aut nobilitas propagari consuevit: quod prudenter factum BODINUS autumat, 3. de Republ. 8. *ut sui quisque generis claritudinem inter mortuam renovare studeat, aut ignobilium ac plebeorum ordine censeatur.* Nostris vero moribus eò usque in posteros propagatur nobilitas, quousque gravi crimine se eam non reddunt indignos. Omnium etenim hoc de nobilibus iudicium, hæc spes est, fore, ut, qui ex iis nascuntur, quemadmodum oris lineamenta, ita paternam virtutem referant. *Excitat sane nobilitas magnis in animis generosam emulationem, non equandi tantum eos, sed etiam superandi, à quibus partem habent sua familiae claritatem.* Et certe paternæ laudis recordatio magnum excelsis ingenis aculeum addit, ut degenerare non velint, & ut ea facinora edant, quæ præclari & illustri ortus fidem omnibus faciant. VERNULÆUS Instit. Polit. 1. 2. Tit. 9. §. 3. Hoc tamen quoad sobolis animum probabile duntaxat, non vero necessarium vel perpetuum est. Non enim sola natura bonos homines efficit. *Habilem natura facit, non dabitur: inclinatur, non cogitur: cui nisi doctrina & præcepta magistrum præsto sint, quid mirum, si plerumque præcepta ad malum agatur?* STEPHAN. de Nobilitate, c. 5. n. 48.

XXXIV. Ut autem quis nascatur nobilis, vel uterque parens debet esse nobilis, vel ad minimum Pater. Equidem indubium est, quod matris nobilitas nobilitati patris matrimoniali nexu junctâ multò illustrius nobilitatis decus conciliet marito & liberis; quæ ratione Cn. Piso præter paternos spiritus uxoris quoque Plancinæ nobilitate & opibus accensus TACITO dicitur, 2. Annal. 43, 6. Certum tamen & hoc est, quod ordinariè à solo patre deducatur nobilitas, ac in secunda eius ratione nulla habeatur ratio matris, sed patris duntaxat. Nam & mater ipsa

psa conditionem mariti sequitur, & ex eius dignitate aut vilitate mutat & accipit sortem, nuptaq; ignobili perditis nobilitatis juribus nihil horum ad natos transmittere valet. Accipit quidem à majoribus nobilitatis decus, sed sola transferre ad liberos nequit, cum in nobilitatis causâ à potiori fiat denominatio. Quod uti ratio evincit, sic plurimarum gentium probant suffragia, nec apud ipsos Romanos diversum obtinuit. Hinc Canulejus apud LIVIUM, l. 4. c. 3. querentibus patribus, non aliam vim connubia patriciorum & plebejorum promiscua habere, nisi ut ferarum propè ritum vulgentur concubitus plebis patrumq; ut, qui natus sit, ignoret, cujus sanguinis, quorum sacrorum sit, dimidius patrum sit, dimidius plebis, ne secum quidem ipse concors: aptè respondit: Si plebejam patricius duxerit, si patriciam plebejus, quid juris tandem mutatur? nempe patrem sequuntur liberi. Ex promiscuis igitur ejusmodi matrimoniis non incertam prolem, quod obvertebant patres, sed certam nasci, manifestum est. Cum tamen equestris dignitatis ratio à dispositione Principis dependeat in solidum, nulli dubitamus, quin ab eo statui possit, ut liberi matris originem sequantur, & ab eâ cognominentur, dimisso cognomine Patris: quemadmodum Italiensibus, Delphis & Ponticis ab Impp. datum est, ut dignitatem ex matris origine sumerent, l. 1. D. ad municip. Et PLUTARCHUS in l. de clar. mulier. c. 9. memorat, apud Xanthios, Lyciorum populū, lege cautum fuisse, ut à matribus, non à patribus filii generis nomen sortirentur: quod fortè hinc prodiit, quod apud eosdem viri uxorum imperiis parebant, ut scribit HERACLIDES in Politicis. Idem de Lyciis in universum tradit HERODOTUS, l. 1. hoc unum scilicet eos, præter cæteros homines, pro lege habere peculiare, quod à matribus nomina sibi induant. Et in nonnullis Gallia locis, ut in Campania, adhuc receptum esse NOLDEN affirmat, l. c. c. 11. n. 13. ut venter nobilitet, quemadmodum etiam in regno Guinea & a-

apud *Calecutios, Indios, populos, Quibus annūmerat Limingios, Calsterios, Radingios, Strenios, Vernsalios, Grelios, Rodios,* familias apud Lovanienses in Brabantia primarias, quibus jus, ut nobilitatem per foeminas transmittant, teste *J. LIPSIUS, in Lovan. l. 2. c. 3.*

XXXV. De cætero, siue ante acquisitam à Patre nobilitatem nascantur liberi, siue adeptâ illâ, omnes æquè nobiles habentur. Contrarium hæc in parte tenet *LIEBENTHAL. Coll. Polit. Exerc. 10. q. 4* quòd nobilem vel propria virtus faciat, vel natura & jus sanguinis: ita tamen, ut à parentibus veluti ex traduce atq; conusatione clari stemmatis & sanguinis, prærogativa nobilitatis ad liberos transeat. Unde infert, ante nobilitatem patris natos non esse reputandos nobiles, quia claritas sanguinis tempore acceptionis nondum adfuit. Sed omisit *LIEBENTHALIUS* in recensendâ nobilitatis productrice causâ *Majestatis arbitrium*, cui tamen vel maximè debet originem, & abs quâ habet, quòd dignitas illa in liberos siue ante parentum nobilitatem genitos, siue post eam, quasi ex traduce transit. Ex eadem Majestatis dispositione est, quòd nobilitas non transeat in liberos *ex illegitimo toro susceptos*. Cùm enim viles & quodammodo infames habeantur, sublimis illa equestris dignitas ex eorum confortio non levem maculam contraheret. Parum illis æqua & divina lex, quâ prohibentur in congregationem venire Jehovæ ad decimam usq; generationem, *Deut. 23. 2.* Ac olim jam ita receptum legimus, ut spurii nec nomen, nec insignia familiæ retinerent, nisi consuetudine aliud observetur, qualis in *Gallia, Delphinatu, Hispania, Sabaudia & Britannia*, si *NOLDENO, l. c. c. 11. n. 82. & VECHNERO de Nobil. c. 3. lb. 25.* habenda fides, obtinet, ita tamen, ut nothi familiæ insignia gerant per transversam à sinistra parte ad dexteram lineam divisa, quam *Barram* vocant, vel stellæ signo distincta. Quod si tamen insigni spurius virtute polleat, non dubium est, quia

quoniam, quod de generatione ipsi denegatum est, per nobilia facta, Principis accedente gratia, possit consequi. Denique licet matrimonii tanta sit vis, ut omnia purget vitia, spurius tamen ultra deletionem maculae ex parum honestis natalibus contractae nobiles efficere non valet: quod legitimatus non ineleganter comparetur cum homine à vulnere curato, quod semper cicatricem aliquam post se relinquit; nobilitas verò hæc vel auctoritate Principis immediatè aut mediatè adhibita conferatur, vel legitimo parentum nobilium sanguine transplantetur. In Hispaniâ tamen filius legitimatus per subsequens matrimonium gaudet nobilitate. *NOLDEN, l. c. n. 89.*

XXXVI. Plus habere dubii illa videtur quæstio: *An plebejus à nobili adoptatus nobilitatem consequatur?* Pro negativâ sententiâ afferunt *partim*, quòd adoptio non sit modus constituendi nobilitatem, sed patriam potestatem; *partim* quòd nobilitas sit propagabilis ex jure sanguinis, ac à parentibus transeat in liberos veluti ex traduce, adoptio autem jus sanguinis non conferat; *partim* quòd hoc ex affirmativâ promanet absurdi, in privati esse arbitrio conferre nobilitatem. *CUJACIUS* distinguendo *inter gentis & generis nobilitatem* ad propositam quæstionem respondet & vult, adoptionem quidem mutare gentem, genus verò non mutare: & ita nobilem ex ignobili facere putat adoptionem, si gentem spectemus, non verò si genus. Sed dubito, an hæc responsio rem conficiat, & accuratæ distinctionis punctum ferat. Idem discrimen facit *inter honorem & jura ingenuitatis & nobilitatis; & ipsam ingenuitatem ac nobilitatem*, & adoptatos à nobilibus nancisci quidem jura nobilitatis asserit, non verò ipsam nobilitatem. Sed nec hæc distinctio nobis ad palatum est. *Dn. REINKING de Reg. sec. l. i. class. 5. c. n. 32.* negat quæsitum *de adoptione*, affirmat *de arrogatione*: quòd adoptio fieri possit etiam cujusvis magistratus imperio, arrogatio non nisi principali auctoritate.

re, NOLDEN, l. c. §. 6. n. 19. eo saltem in casu adoptatum nobilitari asserit, si avus maternus nepotem adoptet ex genere plebejo, non verò si pater extraneus propriâ auctoritate plebejum adoptet. Hoc certum est, quòd ista res non tam naturâ, quàm variabili hominum constitutione, summiqve approbatione Principis s. explicitâ & speciali, s. implicitâ & generali comprehendatur.

XXXVII. Ne autem equestris dignitas cassum nomen putetur, considerandum porrò est, in quibus rebus consistat maximè, quæ à plebejâ sorte illam eximant. Referenda huc sunt *jura, privilegia & prerogativa*, quæ in equestrem ordinem magnificè confert Principis clementia. Diffundunt sese in eorum expositione latissimè, qui nobilitatis materiæ peculiarem operam dicaverunt, tursur tamen sæpius farinae admiscunt. Nos potiora seligemus. Laborem nos defunctos putabimus, si de nobilium *privilegiis, insignibus, titulis, & concessis vel oblatis bonis* pauca proposuerimus, quæ jura & privilegia non sunt merè *personalia*, ita ut cum personâ nobilitatâ extinguantur per mortem; sed in conjugem, liberos & posteros perpetuò continuantur ac propagantur. Ac privilegiorum quidem nonnulla *juris communis beneficio*, nonnulla *concessione Principis*, alia *vigore consuetudinis* equestri ordini indulta sunt: & illa privilegia communiter ad quatuor classes revocantur, ita ut alia consistant *in præsumptionibus*, ubi nobiles præ plebejis præsumuntur exculti virtutibus & excellentes, magisq; memores æternæ salutis, prudentiores & exercitatiores, veraciores in promissis ac testimoniis, liberaliores, fideliores, nec præsumuntur prodere principem, aut arcem sibi conceditam: alia *in reverentiâ & honoribus deferendis*, quorum ratione nobiles præ cæteris sunt honorandi, reverenter salutandi, in ambulationibus & sessionibus, officiis secularibus, obviandâ Legatione, beneficiis ac dignitatibus Ecclesiasticis plebejis præ-

præ
dici
ben
niu
di,
com
qvo
ca, n
loru
rum
igno
tes in
civil
cere
tum
strin
con
viâ p
dicta
crim
non
legia
entur
svetu
sius
LIM
DEM
de N
cl. 22
exfa
qvib

præferendi, ad iudicium non verbo, sed scripto citandi, ad iudicium comparentes à iudice ad sedendum invitandi, si perhibendum testimonium, in domo conveniendi, ad testimonium evocati equo aut curru, sumptibus producentis, vehendi, in civilibus & criminalibus per procuratorem agere & comparere possunt, &c. alia in exemptionibus ac immunitatibus, quorum vigore non tenentur ad collectas & munera publica, non solvunt vectigalia, nec coguntur subire tutelam pupillorum ignobilium: alia denique in pœnarum temperamento; quorum beneficio nobiles regulariter mitius puniendi, quàm ignobiles, cruciatibus & torturis non subjiciendi, non habentes in ære non protinus in corpore plectendi, propter debitum civile, vel ex causâ æris alieni non realiter citandi, vel in carcerem deducendi, in solidum non conveniendi, sed in quantum facere possunt, habitâ ratione nobilitatis, non facile constringendi arresto, in vinculis subterraneis non detinendi, non condemnandi ad triremes, ideò, quod insultaverint alios in viâ publicâ, non amputanda ipsis manus, ob injuriam plebejo dictam non cogendi ad palinodiam, propter furtum, aut aliud crimen suspendio dignum laquei supplicio non afficiendi, non flagellis vel fustibus cædendi. &c. Quæ verò ratione privilegia recensita, & quæ silentio præterimus, probentur, ampliantur, restringantur, quidquid ex iis valeat etiamnum, aut in desuetudinem abierit, id instituti ratio non permittit, ut copiosius exponamus; & præstiterunt hoc ante nos nobiliter Dn. LIMNÆUS l. 6. de J. P. c. 4. TIRAQUELL. de Nobilit. c. 20. NOLDEN. de statu Nobilium à c. 12. ad 17. MATTH. STEPHANUS de Nobil. l. 1. c. 6. ARUMÆUS T. 1. Discurs. Jur. Publ. Discurs. 16. Concl. 22. 23. 24. 25. in quibus cupidus Lector inveniet ea, quæ illius exsaturabunt desiderium, quin & diligentiam defatigabunt.

XXXVIII. Privilegiis nobilium subjunguntur insignia, quibus non tantum nobiles à plebejis distinguntur, sed etiam

E. veluti

veluti per signa & literas hieroglyphicas breviter & compen-
diosè aliud, quod non videtur, per sculpta, picta, aut calata si-
gnificatur, ad memoriam eorundem, qui quippiam egregium
simile vel proportionatum demonstranti signo gesserunt.
THOLOSANUS 6. *de Rep.* 16. Hinc alii tot castella depicta
gestant, quot illi generis principes pugnando ceperunt:
alii circulos, aut quidvis aliud pro numero hostium, quos
in praelio aliquo durissimo interfecerunt: alii, ut for-
tasse ostenderent, se lucem rebus patriæ afflictis attulisse,
stellis scuta distinxerunt. **MAJOL.** *Dier. Canicul.* Tom. 2. Coll. 6. p.
588. Hoc igitur in negotio tum ad *imagines & picturas* insi-
gnium, tum ad ipsos *colores* respiciendum est, *Leones* enim ex-
pressi magnanimitatem heroicam in gubernatione & bellis,
fortitudinem contra hostes, & clementiam erga subditos in-
dicant: *Babulorum & litorum capita* fortitudinem cum pru-
dentiâ conjunctam: *Stella* conspicuas personas: *Cygni* amorem
artium ac pacis: *Galli* vigilantiam ac animositatem: *Canes* fi-
delitatem & custodiam: *arietes* eminentiam: *Pelles Hiene* con-
temptorem fortunæ & calamitatis: *Formica* cognitionem &
prudentiam: *Trabes* œconomiam: *Cornua* robur: *Columnæ* fi-
delem Reip. sustentationem: *Rose* suavissimam multorum re-
fectionem, & declaratam sapius liberalitatem representant.
CASSANÆO in *Catal. glor. mund. part. 1. Consid.* 31. *Concl.* 84. Sed
& colorum distinctiones suo non carent iudicio; qui, tradente
AGRIPPA, *de vanit. scient.* c. 81. *de arte Heraldicâ* secundum Pla-
netas, certarumq; significationum discrimina distinguuntur.
Confer. *NOLDEN.* l. c. c. 21. n. 10. *seqq.* & *ARUMÆUM*, l. c. *Concl.*
24. Tametsi autem uniuscujusq; familiæ sua sunt insignia, qui-
bus ab aliis dignoscitur, in eo tamen differentia est, quod no-
biles hodie usurpent insignia cum *galeis apertis*, nonnunquam
coronâ exornatis, ut ut non sit perpetuum, ut ii, qui utuntur a-
pertis, nobiliores sint illis, oclusas qui usurpant. Illud quoq;
notabile est, quod, sicut insignia cum nobilitate oriuntur, ita
cum

cum illâ commoriantur, eâ ratione, ut si ultimus familiae, nullo masculino hærede vero & legitimo relicto, decedat, insignia ipsius frangantur, & simul cum eo sepeliantur.

XXXIX. Insignibus addi *tituli* solent ac *nomina*, quibus & ipsis discerni à vulgo, ac inter se dignosci nobiles possunt. Ita Romani Equites *illustres*, *insignes*, *splendidi* dicebantur, quemadmodum Senatores Clarissimi. Sic Lacedæmonii, quando virum bonum & nobilem efferre laudibus volebant, *divinum* cum nuncupabant. Nostris moribus *Generosi* dicuntur soli illi, qui generis & familiae dignitate commendantur: *nobiles* autem vocantur omnes, qui virtute ac præclaris gestis nobilitatem sibi compararunt; quos etiam *Strenuos* appellamus. Uti verò cæterarum rerum pretia crescunt supra modum, & augmenta capiunt, ita & tituli, præterquam fas est, excreſcunt, perversâ quâdam seculi labe, ac jactantiâ animi, quâ vilissimus quisque ultra sortem & conditionem suam majoribus extolli titulis satagit. Nota est hæc in parte Italorum vanitas, apud quos multum magnificos etiam *seſſularia opera artifices se appellari, quæ si jure quodam exposcunt. Mercatores verò & alii, quorum pingvior fortuna, ut infra dignitatem cum stomacho aut bile dictum excipiunt titulum.* LIMNÆUS l. 4. de J. P. c. 6. n. 69. Titulis nova ut plurimum nomina adjici solent, qui mos in honorum acquisitione est antiquissimus. *Babyloniorum* enim consuetudine qui ad imperii gubernacula admovebatur, mutato ea suscipiebat nomine. HEURNIUS l. 2. *Barbar. Philos. p. 153.* Quem morem adhuc *Pontifices Romani* imitantur, abicientes pristinum nomen, eVecti ad Papalem sedem. Sæpè à rebus tenuibus & abjectis deducuntur ejusmodi nomina, nec aliquid tamen derogant nobilitati; quin ob egregia facta celeberrima evadere possunt. Laudandus in hoc *Cicero* est, qui cum ob cognomen inceſſeretur dicteriis, & ab amicis moneretur, ut aliud sibi adſcisceret, respondit, *se Ciceronis nomen illustrius effecturum, quàm esset Catonum, Catulorum, aut Scaurorum; quod respon-*

sum felicissimum etiam successum habuit. Multa autem gentilia nomina *ab officiis* ducuntur, qualia in nobilibus quibusdam Germania familiis supersunt, v.g. *Truchsess/ Schencken/ Marschalche/ &c.* Infinita itidem nobilium multitudo est, qui *à castellis* denominantur: ita ut credi possit, majores eorum antiquissimo tempore vel Romanorum, vel Francorum milites praesidarios extitisse; qui Castris Burgisque suis, vel loco vel arte munitis, habitârunt, & provincias bello acquisite aut gubernârunt, aut contra hostes & veteres colonos defenderunt.
BESOLD, *Discurs. de Ord. Equestri. §. 4.*

XL. Tandem cum non sufficiat, equestri pollere dignitate, sed splendor quoque illius servandus sit, concedi nobilibus à Principe certa quaedam *bona ac beneficia* solent, quibus non egregia modo in Rempublicam merita eò plenius compensantur, sed vitae quoque dignitati consulitur rectius, ac nobilitati cum posteris conferentis imperio hoc arctius obstringuntur. Laudem hinc praes aliis meretur Romana civitas, erga virtutem insigniter grata, quam non modo statuâ, jure annulorum aureorum, coronâ murali, civicâ, aliisque ornavit, & pro concione laudavit, sed & cingulo militari, fibulâ aureâ, & feminis, bove aurato, agro quantum uno die arari potuit, aliisque donis militaribus ac praemiis ditavit. Exemplo sit *Horatius Cocles*, qui hostes à ponte sublicio prohibens, donec à tergo dejiceretur, urbem Romanam fortitudine suâ servavit. Grata erga tantam virtutem civitas fuit; statua in comitio posita, agri, quantum uno die circumaravit, datum. LIVIUS, 2, 10. Stat huc *Feudorum* institutum, quo nobilibus olim militantibus bona quaedam utenda dabantur, postea facta ad vitam, & dehinc haereditaria: ad quae referri possunt plura alia, quae recenset HIPPOL. à COLLIB. in *Princip.*, c. 17. & nos jam eorum mentionem fecimus, *ib.* IX.

XLI. Nunc paucis agendum quoque de eo est, quod ordini
dini

dini equeſtri ſpiritum quaſi & *formam* largitur, quod commo-
dè exemptionem à plebejâ conditione, & in ordinem nobilitatis col-
locationem appellaveris, profectam ab eo, penes quem nobili-
tandi poteſtas reſidet. Ea etenim civilium dignitatum in-
doles eſt, ut præter virtutem ac merita, præter amorem ac gra-
tiam Principis, requirant etiam certam declarationem volun-
tatis à nobilitante ſive expreſſè, ſive tacitè factam, quâ manife-
ſtum fiat, Majeſtatem ſubjectum recipiens hoc honore affe-
ciſſe. Quod adeò verum eſſe NOLDEN affirmat, *L. all. c. 4. n. 7.*
ut ſi plebejus virtuoſè per mille annos vixiſſet, nihilominus,
ſi in ipſum aliquid dignitatis non transferatur, ſemper eſſet
plebejus: pariter ut ad Doctorem præter eruditionem etiam
requiritur gradus, ita ut ſola eruditio Doctorem non faciat,
niſi gradus ſimul conferatur. Solet autem Majeſtas civilis
voluntatem ſuam in aliquo nobilitandò nonnunquam *evi-*
dentia aliquo actu externo expreſſis verbis vel ſcriptis declarare,
nimirum vel *collatione diplomatis*, continentis concessionem
tributæ nobilitatis, nec non *inſignium, ſive armorum*; vel lege, ut
ſi quis ex genere procreetur nobili, aut ſi mulier plebeja viro
nobili nubat, qui inde Patris ſui vel viri nobilis dignitate &
privilegiis gaudent. Nonnunquam verò *tacitè ac citra ex-*
preſſam creationem nobilitatem confert, ut ſi quem Princeps
lateri ſuo adhærere ſinat; ſi aliquem in venerabilem ſacri pala-
tium ſui ſenatum aſſumat; ſi quem exercitui præficiat, aut equi-
tem creet; aut ſi cui ſummos in Jurisprudentiâ honores ipſe
vel per alium conferat: ubi tamen NOLDEN. *l. c. c. 5. n. 168.* no-
tandum cenſet, *Doctores, qui privilegiis nobilium gaudent, verè*
nobiles non eſſe, ſed ex accidenti & ſecundùm quid, quia ipſam no-
bilitatem ad poſteros non tranſmittunt: ita ut exemptio videatur
potius, & immunitas, quàm nobilitas.

XLII. Addunt nonnulli, tacitè obtineri nobilitatem, ſi
Princeps in reſcriptis, vel alio quovis modo aliquem plebejum ap-
pella-

*pellaverit nobilem; si quem de Feudo investiat nobili, si cui inter
perorandum pileum imponat.* Ast rectè contendunt alii, quòd so-
la denominatio veritatem rei non immutet, & nobilitas non
epistolis, blandimentis, vel nudis asseverationibus, sed natali-
bus probetur. Impositio pilei apud veteres quidem non solum
libertatis, sed etiam nobilitatis insigne fuerit; nò tamen hodie
apud summa capita constanti more sit receptum, nobilitatem
vix inde firmiter evinci posse arbitrarer. Deniq; quia nobilitas
est dignitas, quæ soli personæ, non rei propriè inest, & à perso-
nâ, non à re quâpiam dependet, consequens est, nec feudum
nobile *per se* afferre nobilitatem, nisi quatenus concedens po-
test & simul vult cum feudo alicui nobilitatem conferre. Unde
Juris Feudalis interpretes, feuda sine nobilitate dari posse, &
nobilitatem sine feudis, asserunt, indeq; fieri existimant, ut in-
terdum aliquis ab Imperatore investiat de Ducatu aut Co-
mitatu, nec tamen appelletur Dux, aut Comes, sed tantum
possessor Ducatûs aut Comitatus; ac quando per concessio-
nem Ducatûs aut Comitatus investitum nobilitari volunt,
non id acceptum ferunt *rei in feudum concessæ*, sed *Imperatoris
presumptæ voluntati*. Cum tamen hæc & similia plenè depen-
deant ex arbitrio summi imperantis, qui non patitur se con-
stringi moribus unius aut alterius civitatis, itaq; nobilitandi
modi optimè omnium ex institutis in quâlibet Republicâ in-
troducendis dijudicantur.

XLIII. *Finem* Ordinis equestris generalem ac remotum
salutem esse publicam, omnibus in confesso esse opinamur. Ad
hanc enim, ceu cynosuram, omnis actio civilis est dirigenda,
sive ab imperante proficiscatur, sive à parentibus suscipiatur.
Promoveri autem equestri ordine egregiè publicum civitatis
bonum, vel inde patet, quòd absq; decenti civium collocatio-
ne, quâ summi infimis, medii utrisq; civili quodam nexu in-
ter se & cum Republicâ colligantur, mera inducitur confusio,
qua

quâ
posse
nost
bus
pleb
æqua
posse
inæq
con
com
lia su
defe
tame
civi
est, q
virtu
præ
hom
ad vi
nobi
ctum
X
pend
inde
tem
verfi
nitio
de e
huj
bilit
bus
fecti



quã nullum pestilentius malum egregium publicum vexare
posset. Neminem fugit, affinem vitiis atq; erroribus vitam
nostram amare turbida, & summa imis miscere haud rarò; qui-
bus verò non aliud melius, quàm civilis ordo, qui nobiles à
plebeis, virtuosos à vitiosis dirimit, medetur. Nec aliud in-
æqualis civium virtus ac disparia in Rempublicam merita de-
poscunt. Uti enim æqualibus debentur æqualia; sic inæquales
inæqualia manent, quod efficacissimum servandæ inter cives
concordiæ firmamentum habetur. Ac fluunt quædam ex
communi civium jure, quibus omnes ex æquo gaudent, qua-
lia sunt generale legum præsidium, communis securitas, atque
defensio contra lædentes quosvis ac externos hostes: in aliis
tamen disparitas quædam atq; diversitas propter inæqualem
civium conditionem ex justitiæ præscripto omninò servanda
est, quorsum dignitatum & honorum discrimina, quæ dispar
virtus promeruit, referenda veniunt. Tolle hæc virtutum
præmia, & virtutem ipsam è medio tolles. Ita enim animati
homines sumus, ut gloriæ stimulis incitemur quam maximè
ad virtutum culturam, & in publicum virtutis testimonium
nobilitatem avidissimè appetamus. Sed de his jam ab initio a-
ctum: nobis ad finem properandum est.

XLIV. Quod si à nobis hætenus dicta redigamus in com-
pendium, non grave fuerit, Ordinis equestris Definitionem
inde concinnare. BODINUS quidem, cum videret, nobilita-
tem civilem ex more cujusq; regionis cum plurimum ex di-
versis causis judicari, exinde contendit, non posse unam Defi-
nitionem dari, quæ omnibus populis conveniat. Nos tamen
de eâ non desperamus, cum in eâ definiendâ non ad variantes
hujus vel illius loci aut populi consuetudines, sed ad certa no-
bilitatis principia & causas, quæ in verâ nobilitate ab omni-
bus bonis attendi solent ac debent, sit respiciendum, & imper-
fectiores ejus species atq; exempla ad perfectam ejus ideam
sint

sint revocanda. Est igitur ordo equestris *Dignitas civilis*, a potestate summâ certis personis ob virtutem & præclara in Rempubli-
câ merita tributa, vel per sanguinem acquisita, quâ quis certis
privilegiis ac prerogativis plebejâ conditione eximitur, ac in emi-
nentiorem ordinem collocatur, in salutem publicam, virtutis testi-
monium ac incitamentum, apta nq; civium distinctionem. Quæ
singula cum ex præmissis clara sint, non egent ulteriori didu-
ctione: cum præfertim & nobis constitutum sit, hic præsentis
Dissertationi terminum ponere.

S. D. G.

Nobile *Virtutis* donum, quod *Marte*, vel *Arte*
Quæritur, hinc pendent *nobilitatis* opes.

Magnaq; *nobilitas Generis*, fortesq; creantur
Fortibus atq; bonis. SCHICKIUS ista probat.

Contigit huic insigne *Genus*, quod *Nobilitatis*,
Egregiis *studiis artis* id ipse colit.

Sic igitur pergens, *Majorum gloria* semper
Surget in hoc: & Gens SCHICKIA ritè viget.

Johannes Deutschman/D.

p.t. Acad. Rector.

Ad Generosum Dn. Respondentem,

Amicum suum colendissimum.

Pulchra latens tandem generoso sanguine virtus
Emicat, & veræ nobilitatis opes

Ostendit nobis. Nunquid tot pœnitet annos
Effluxisse tibi Leucoridum studiis?

Michael VValtherus, P.P.

Dum de Nobilium disq̄viris SCHIKE Virorum
Ordine, prælustri nobilis Ipse satū,
Unā virtutem monstras, & lumine mentis
Clarius illustras Teq̄; Tuumq̄; genus.
Gratulor hunc animum. Non pulcris addita
pulcra

Hæc maculant, reddunt splendidiora magis.

*In honorem generosi Dn. Respond.
scribeb. subito*

Balthasar Stolberg /

Græcar. Lit. Prof. Publ.

*Ecquis equestris erat, præclarè disseris, ordo,
Ingenium Doctis rursus ut inde probes.*

*Ceu longo trita vos 5 a vos de stemmate ducis,
Doctorum quoq̄, sic ordine clarus eris.*

Nisibus his insta: Cedat feliciter istud!

Premia, crede, Tibi Principis Aula dabit.

*Commensali amicisimo
gratulabundus f.*

D. Godofredus Strauß /

Cur. Elect. & Consist. Eccles.

Advoc. Ordin.

W Er seiner Ahnen Ruhm /
Wer den belobten Ritterstand

Ⓞ

Durch

QK
Tm
545
Durch eigne Thaten höher bringet /
Und bald mit Stahl und Kugeln ringet /
Bald durch den Kiel nuht seinem Vaterland /
Denziert des Adels Alterthum.

So sucht mein Werthester / was sein Geschlecht
Vorlängst vom Pöbelvolck erhoben:

Er zeigt die Arth des wahren Adels recht.

Wohl Ihm / den Blut und Muth geadelt hat /

So blüht sein Stam / so wird Ihn Juno loben.

Dem löblichen Vorhaben des HochEdlgeborenen Herrn
Schickens / als Seines liebwerthesten Hrn. Anver-
trauen / feste es zu wohlverdienten Ehren

M. Christianus Köhrenssee / Coll. Philos.

& Pract. Phil. Prof. Publ. Adjunctus.

In Seelen / die rechte Edel sind /
Mann selten was gemeines find.
Der schlancken Federn EhrenRuhm
Ist solcher Leute Eigenthum.

Nun gleiches Lob verdienstu:

Weill Pallas freudig ruffet zu:

Mein Schicke weiß durch kluge Schrift:

Was wahren Adels Preis betrifft.

Dittrich Schicke.

Indem der Adelstand Sein löbliches Bemühen

Uns stellet an das Liecht / wornach uns längst verlangt:

So mus in Ihm gewis der Adel zweyfach blühen /

Weil Tugend und Geschlecht bey Ihm verdoppelt prange.

Zubezeugung Brüderlichverbundener Freundschafft

gegen dem HochAdelichen Herrn Respondenten

setzte dieses

G. C. von Nostitz.



KODAK Color Control Patches

Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

Inches
1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

